Theodorus, Palat. Crac.
Coll. S. J. Fortuna Caesarum imperatorio Drusorum sanguine augusta.
Crac. typ. Jacobi Matyaskiewicz. 1732.

F

*Cl*

D

L

Oblig

An

Ty

# FORTVNA CÆSARVM
Imperatorio DRVSORVM Sangvine
AVGVSTA,
Sacri Romani Imperii Principum Mitrâ
CELSISSIMA,
Rerum gestarum Gloriâ
AMPLISSIMA.
ad littus Palatinæ dignitatis
& publicæ spei Promontorium;
in
*CELSISSIMO ILLVSTRISSIMO ac EX CELLENTISSIMO Domino*
# D. THEODORO
Comite in Wisnicz & Iarosław
# LUBOMIRSKI
S. R. I. Principe,
PALATINO Cracoviensi,
Capitaneo Scepusiensi &c. &c.
Gentilitiô SRZENIAVÆ Altô
EXPOSITA.
atq; in primo Senatoriæ Curulis aditu, votis omnium;
& plausu
Obligatissimi Celsissimo Nomini Collegii Cracoviensis, Soc: IESV
SS. Apostolorum PETRI & PAVLI.
ADORATA
Anno quo Mare Gratiarum Fortunam invexit Orbi 1732.

CRACOVIÆ
Typis Jacobi Matyaskiewicz S. R. Majestatis Celsissimi Jllustrissimi & Reverendissimi
Domini Episcopi Cracoviensis Ducis Severiæ Ordinarij Typografi.

Nunc portum Fortuna dabit Lucanus.
Fortunam rivus inaurat Sarbie.
- - - - - totumq; per orbem
Collectæ partes, unum revocantur ad Amnem. Claud.
In quo desinimus Summi in quo currimus amnes *ovid:*
Nemo hoc demersas, queritur periisse carinas. Senentius:
Satis est populis fluviusq; Ceresque Lucan.
Nec præferre suos auderet Thybris honores Ausonius
Sit perennis ille torrens
Illá vena jugis auri
Eloquentis ille linguæ.
*Amnis*, irriget *Senatum* Sarbie.

# CELSISSIME PRINCEPS PALATINE.

*VT prima panegyricæ laudationis fronte, in Te, Tuamq́, ideſt* Cæſarum *non delinqueremus* Fortunam; *non minùs humile elogium, quàm omne Palatini honoris faſtigium, infra Ducalis Mitræ, & aviti SRZE-*

436

NIAVÆ altum posuimus: PRINCEPS, rerum gestarum gloriâ, Celsissime. Attollantur honorum eminentiæ? Te supra erigi non possunt, quem & cognatus Romanis Imperatoribus Sanguis, ultra summa provehit omnia; & profusa utroq; cum orbe merita, non minùs vicinum, quàm omni alto, erigunt conterminum. Assurgant sublimiùs aliîs, altissimæ dignitates, Tuam Celsitudinem non transcendent, etiam curulibus considentem: quam ut Celsissimi dotes animi, pro immortalibus in Patriam meritis, ultra Lunam, Solemq; cum Aquilis efferunt Polonis: ita S. R. I: Mitra, non monti solùm Palatino, verum etiam Romano æquat Capitolio: affinem videlicet celsitudinem, orbis Capiti. Poterunt eminere aliis, Gigantes tituli, Tibi nunquam poterunt; nisi Ducalibûs humerîs efferantur, quibus non tam majores fiant, quàm (ut suam quoq; sublimitatem, deberent attollentibus,) reddantur altiores; tantumq; sibi pares, quantum Te minores, qui & mereri non potes nisi summa, & sperare nisi maxima, & ferre nisi ingentia. Quomodo, quæ Cælo incumbunt sidera, Olympum non superant erigentem, ita Te minor, etiam hæc dignitas, quam

attollis

attollis; omneq; elogium, infra pedem: eò nonnisi sublime; quia & verum, & Tuum. Quid multis? præsens, panegyris argumentum, Tua dignitas. Pulcher ætatis flos, majores auget Ceras (hunc si more apum, legunt tituli) neque Cæsarum Fortunam magìs, quàm vota Patriæ coronat. Expressus omni in acie, virtutis galeà, sudor, simul orbis, simul Polonæ fortunæ, globus est. Altior periculîs animus, Achilli suppar, exemplum terrarum, prodigium fortitudinis. Minora dixi: Ipso ex pondere sentiet Polonia, fortunæ suæ in Te auctuarium, pretiosam animam, bonorum votum, senatûs gemmam, quavìs in arena hæredem laurearum; quia Cæsarem ex omni. Adorabit Orionis astrum, inter Stellas, non atomos; quo melior, neque Custos Imperii, neque Augusti in triumphis flamma emicuit, quamvis omnes Annibalis oleas consumpsisset, victoriæ adipem, & medullam. Ergo age jam Fortuna Cæsarum, meritorum ex humero Poloni Senatus descende inter Numina: ita enim gloriosiùs est, ad curules ferri, quám ire. Subimus vicissim Tecum, honoris atria, & jam gratias titulis non damus, sed

*pro Te referimus. Admitte vota* Palatine Honor, *Inter solia, sors* Principis *esto: Aurea Polonis volventur sæcula, tantæ fortunæ rotà. Senatorias toto orbe secures, colligite Sarmatæ, augusta Sors* Palatini, *ædificabit pro vobis multa; modò, qui nunquam Patriæ, nunquam Sibi, satis potest vivere* Princeps, *Vivat diu.*

Ita pollicetur.

Obligatissimum.

Celsissimo Nomini

Collegium Cracoviense Soc: IESV.

SS. AA. PETRI & PAVLI,

ITe verecundô ſuffuſa corallia ſuccô
Et potæ Rubicone Togæ: ſibi ſola pudorem
Incutiat Fortuna Tyrô: Nihil addet honori,
Ponat in emeritis licet integra Regna lacertis.
Ipſe ſibi SRZENIAVA Tyrus; nec Purpura tantum
Sed Fontem diadema ſitit; ſi quando rubere
In trabeis optaret Honor, niſi Fonte lavari
Hoc vellet, roſeis tinctus pro murice Lymphis
Nil titulis Fortuna tuis, LVBOMIRIVS omne
Ipſe ſibi debet, Patrio ſpectatur in Amne
Quod meritis deferre putas? concluſit Avitô
Celſa Domus Pelagô, quodquod decus influit Alto.
Emergunt hoc ſceptra vadô, pretioq; Parente,
Vnio conceptus, prægnantibus enatat undis
Ad Mitras, Regumq; Thronos; ſuperaddis honori.
Id quod ſola capis? Trabeas offerre videris?
Et trabeis SRZENIAVA Sydon; licet omnia dones:
Nil meritis defers, plus accipis, omnia dando.
Hic titulis, Titulus PRINCEPS, Honor altus honori.
Et decus, & Regni, DRVZVS FORTVNA Poloni.

Purpuramne lacertô, ferendæ Poloniæ capaci, attollis? an per trabeas, eveheris ad oſtrum? per Regna, aſcendis ad curules? per Altum Sangvinis, navigas ad titulos; ut pro quadam maturiſſimæ dignitatis graviore pompa, Tu ipſe honor; honore bajulo, titulorũ expectatio; meritis ſuccollantibus, Sena

tui inferaris Palatino, Te uno, omne dignita tũ Regnum facturus; *Princeps Celſiſſime.* Ambiguum iſtud eſt; ſed ne in primo Senatoriæ curulis aditu, ſtemus in bivio: utrũq; Tuum. Meruiſti purpuras, quas gloriâ attolleres, & cui ſe ſubmitterent, Te ſibi trabeæ meruerunt. Data dignitati, dignitas, & ceu Oſſa Pelio, Carpatus Apennino, honoris altum, Monti ſuperimpoſitum Palatino; non gratiâ, ſed virtutis debitô, non favore, ſed exigentiâ meritorum, proprietatis jure, & quadam neceſſitate; ut ſoli debetur radius. Haberet enimverò, quô ad perpetuum erubeſcendi faſtigium, ſuffunderetur Palatinus Murex, niſi ſe Tibi ultrò ingereret; cujus vota fallebas tamdiu, quamdiu Tua merita. Hactenus magis deſideriô, quàm honoribus ardebant tituli, ut Tuis fulgerent Ceris, quibus magis pro alti Generis claritudine, pro auge Ducalis Mitræ, pro rectefactorum ſereno, debebantur, quã lux nativa, adamanti, quàm gemmæ candor collactaneus, quàm ſua roſæ purpura. Iam meritorum gloriâ, omne honorum altum, non adæquabas tantum, ſed exceſſeras, adhuc tamen diu voluiſti poni, infra Te trabeam; ut Tui potius expectatione tenere-

tur

tur, quam humeris: Veluti impatiens Muricis, nisi longâ erubuisset verecundiâ, quod diu mereri debuerit, antequam unà cum Ducalis Mitræ orbe, Atlantibus lacertis cō. sedisset, illumq; in Te obtineret *Principē*, qui si umbram posses proijcere, esset in ambitu honoribus *illustrissimis*. Versabatur hactenus obtutibus, per tot Regnorum Soles, & *Serenissimum Poloniarum Michàélem*, Nominis meridies *Illustrissimi*, & omni intuitu, vix non lachrymis querebamur, tantam lucem erectâ purpurâ non tēperari, velut Phæbi radios Togâ Alexandri protensâ. Occurrebat Caput augustarum cogitationum seminariū solio vicinus apex, & Orbi aureo ferendo suppar, iamq; maturissima Consiliorum Patriæ corona, illud vendicabat. Quid animus? Ingerebat se Regni negotiis limatissimus, quem antequā ætas, jam curulibus admovebat capacitas; adeo consummata, ut maximos honores meruëris, etiam ante annos, necdumq; bene adulta manu, & purpuras tractare valueris, & ad quendam ipsius dignitatis fastum sceptra erigere. Quid integritas? summo Viro digna, quæ nec frangi, nec minui potest. Hæc & sexcenta alia, quæ Romanum ad so

*Sereniss: Michàël imus Pol: Rex Celsis: Palatini Avus.*

lium pellerent *Pertinacem*, ſuſpiciebãt ab alto honoris tituli, & indignantibus ſimiles, vix contineri poterant, quin non exclamarent. Quouſq; tandem Nominis amplitudo, titulorum inundatio, fons primus purpurarum, & mare *SRZENIAVA*, oculis ſolum influes? & areſcentium honorũ ſitim non extingves? Quouſq; haud ſtilicidium, aut parvum rorem, ſed bonorũ Patriæ diluvium, *Palatinum*, intra littus non effundes trabeatum? Gemmamq; aureæ Polonorum libertati inſerendam, arenæ non expones Senatoriæ? Et adhuc non evincerent; niſi amor Pátriæ decertaret, niſi publica felicitas peroraret, perſvaderent merita, & Te Palatinatui Caput, Senatui animã, Patrem Patriæ impetrarent.

Quereremur hucuſq; & meritò *Celſiſſime Palatine!* inſi feliciſſimis AVGVSTI Secundi, favonijs, & corde totius Poloniæ ad Te ſuſpirante impulſa, Avito flumine navigaret purpura; ideſt, Tu ipſe Senatus, Sarmatico propior accederes throno, & frementibus, præ tædio, votorũ noſtrorum procellis, Palatinam curulem, vice ſcopuli opponeres. Tanta enim hactenus non horarum, ſed oculorum, dies

no-

nobis fluxerant tempeſtate, ut profundas de *Anteceſſore Tuo* lachrymas, niſi Tua purpura poſſet temperare, & altos gemitus Gentilitii *SRZENIAVÆ* profundum abſorbere. Ruerremus proculdubio fracto Atlante *Jlluſtriſſimo GONZAGA* de *Wielopolſciis MYSZKOWSKI*, niſi par honori, & oneri Hercules ſuccurriſſes, qui præter Patrii Cæli ſidera, auguſto Capiti innixa, omnem dolorum molem, toti Poloniæ imminentem, ſuſtineres, & acclines luctibus pupillas, ad nova de Te gaudia erigeres; ut iam non in lachrymis, ſed in Tuo *SRZENIAVÆ*, natent populi ſolatia, & ipſi rideant gemitus, quod poſt gēmā Senatorē, meruerint AURELIŪ. Gemino fato immortui, Numinis ſcilicet, & Palatini, reviviſcere videbamur, poſtquàm Te animam ad totius Reipublicæ informandum corpus ſenſerimus. Hocq; primum, inter publicæ lætitiæ prodigia poſuimus: quod ſub Tuæ adventu purpuræ, geminum quantūvis, terrarum nempe, & Cæli vulnus, minus doleremus. Immo magnis extincti noctibus, refulſimus majore die, cum Tui ſereno tituli, redderes populis optatam lucē. Neq; enim *LVBOMIRIO* devota No-

*Anteceſſor Celſiſ: Palatini Illuſtriſ: Gonzaga de Wielopolſciis Myſzkowſki.*

*Ipſis Feſtis Reſurrectionis Dni. Offertur Celſiſ: Palatino Purpura.*

mini, potuit pulchrius litaſſe Polonia, quã eundem Superum, & Tuo Honori diem impendendo: ut conſtaret, propitium Te ſẽper Patriæ Numen, cui immortalium meritorum præmium, purpura, cum Diis debetur. Nimirum quomodo mereri Tibi nõ convenit, niſi cum ſummis, ita Te adorari contigit, cum Numinibus. Eædem Tui muricis cunæ, & prima Senatoriæ lucis uſura eadem, quæ Superos Orbi illuſtres ab Vmbris reddidit; ut palam foret, qui tunc orirentur humanos quantumvis, iam tamẽ titulos immortales, & quoddam dignitatis æternans ævum. Veluti non poſſent Sole alio Ceræ Domûs clariſſimæ, in titulos ceu pyras accendi, niſi quando ingens meritũ *Principis*, unà cum Superis, de omni injuria temporum, triumpharet: ut tantum emineres, quantum fatum Cæleſte aſſurrexit. Multum ſanè noſtræ diei deberemus Phæbo illi, cum quo explicato ad felicitatis meridiem, frontis ſudo, eluctabaris in augem titulorum, niſi iàm omnem lucem Tuis meritis impenderemus: Neq; fortunæ, neq; purpuræ magis obligati, quam Tibi. Metire *Celſitudinem Tuam Palatine!* ſolus enim tantùm pòtes. Non minùs humilis in


elo.

elogiis calamus, quàm honor erubeſcit trabeatus, quod nullum ad menſurã Viri bombicis filum extenderit; ut non Veſtra illud ſors prius neverit meritorum; & Avitus *SRZENIAVA* Tyro pulchrius depinxerit. Hæret attonita dignitatum antiquitas, ſe nihil *LVBOMIRIIS* obtuliſſe, quod non ab illis acciperet. Aurea Fortunæ rota impalleſcit, quod Vos ambire neſciat; neqꝫ celeritatem geſtorum aſſequatur. Et vel ex eo maximè, ſe cæcam profitetur, quod nihil inter honorum pretia videre queat; nõ Veſtrum. Vnde & hic quem Tibi grata Patria obtrudit, hæreditarius in Majoribus *LVBOMIRIIS* murex eſt: quia nullæ trabeæ, quæ alto ruberent Sangvine, ſi nõ Veſtro. *SRZENIAVII* eſtis? ideſt; purpurarum affluentia, honorum Piſcaria, Pelagus dignitatum. Vobis immergitur, quid quid per titulos diſtinguit honor, vel ſceptro cõſcribit dignitas, ad excelſa. Veſter Sangvinis, & Stemmatis Oceanus, non ſolum affinis oſtro, ſed ipſe Rubicon purpureus, quo ſi non adſpergatur rubor Tyrius, ſolum lana eſt. Permitte ergo *Celſiſſime Palatine,* eodem Pactolo jam pennam imbui! Talem Te, âd elogia proferimus, qualem

non honor & fortuna, sed virtus effecit, & natura, qualis ab origine latex Sydonius, idest: altus trabearum color. Tui aviti Fluminis profundo, optavit immitti dignitas, ut celsiùs assurgeret; postularunt naufragari Curules, ut emergerent purpureæ; Vtq; se ad Tuæ Majestatis normam, pingerent tituli, Tuo Stemmati voluerunt innatare.

Tendimus iam non tam calamô, quã fessis Vestræ gloriæ sublimitate oculis incedentes per fumosas imagines, veritatem ad vivum expressuri; Tu ubiq; *Senator meritissime* prima facies dicendorum. Tuus vultus, in quo se una cum titulis, Regni felicitas composuit, idea, merita, ad omnem recti lineam protensa, fundamentum. Nõ potest enim ad Nominis *Illustrissimi Majestatem*, in lucem prodire laudatio, nisi tot honorum, quot Heroum insignia, tot perennaturæ monumenta gloriæ, quot *LV-BOMIRII*, post atram sepiæ noctem (si tamen quæ communicatio cum umbris *Illustrissimis*? ) quomodo soles, post Nubẽ, post cortinam Apollines, prospectent: idest nisi Tu *Palatine* & *Princeps Celsissime*, occurras in omnibus. Iidem enim estis! nisi, quod Tu, cum omnium merita col-

lege-

legeris, ſingulos ſuperaveris. Tuâq; ſe magnitudine metirentur Majores Tui, ſi in Imperatoribus *Druzyis* Auguſti, in Principibus, ſurgere vellent Celſiſſimi. Revocamus retroacta ſæcula, in tot coronata capita dividuntur hiſtoriæ, quot *LVBOMI RIOS*; ſi præſentia recenſeremus, tot dignitatum legerentur apices, quot Tua merita. Soles Regnorum eſtis! in *Octaviano*, *Cajo* Felice, *Claudio*; ita Vobis Cæſarum cognata Gens, ut dies Phæbo. At Tu majora pingis parelia, cui eadem claritudo Generis, ſed virtus amplior. Ortus Vobis communis cum Regibus, qualem honor optat, dum naſcitur, ſed major dignitas; Tibi maxima, quod ſicut nomen à DEO DONATUM, ex ingentibus referas meritis, ita quadam neceſſitate titulorum, emeritæ virtutis gloriam, honores comitantur; ut ſolem ſatelles umbra; amantq; ibi ſtationem, ubi neq; proiici poſſunt, niſi ut in augem aſsurgant, in Tuis atriis, velut in Regno lucis purpureæ, magnis ſideribus inhabitato. *Cæſares ex Druzyis*

Iam Imperatore ſceptro notatos, à primo titulo, (quanquam æternitatis, ſe ſe Vobis per coronas volventis, difficilis origo, *Lubomiriana Domus Origo.*

 &

& primum punctum, Orbe majus ) evolvimus fastos. Te ubiq; talem à Capite lecturi, qualem non casus & fortuna aravit, sed tempori coæva vetustas, sed perennatrix gloria, sed quædam honorum continuata, velut in torque aureo orbium concatenatio, deauravit, protensâ *Illustrissimâ Domûs Tuæ lineâ*, extrema nesciente. *DRUZYOS* in *LUBOMIRIIS*, *LUBOMIRIOS* in *DRUZYIS*, Te in omnibus, velut in concha gemmam, legimus oculis, & quod palpabiliter Vestrâ gloriâ vernent fasti, tantum non manibus legimus inter Romanos flores, an Vestræ gloriæ, cẽtifolia. Quâcunq; Imperialis herbæ parente paginâ, vigent purpuræ, omni chartarum margine, Vester medi⁹ decurrit *SRZENIAVA*, explicat as & in trabeis senescentes rosas, idest, Domum Vestram, honoribus cultam, murice nutriens, comendîs soliîs educandam. Tanto scilicet vitam & animam imbibistis alveo, quanto nec Ægyptus, nec Roma, quamvis hæc totô Tyberi, ille septem ostiis ( & quodlibet mare est, ) emanaverint. Breviore tamen gurgite flueret hic vester Eridanus, nisi se etiam Poloniæ in Vobis profunderet trabeatis. Profudit! sed

*Victoriæ Druzyi in Asia, Africa & Gallia.*

ſed prius Aſiam implevit triumphis. Africam, monſtra illa naturæ deformiſſima, nō homines, lavit, & delevit. Galliarum lilia, quæ tunc altô tumebant collô, graviore fluctu fregit, & ſe ampliſſimæ Sclavoniæ infudit. Noſcite Poſteri! *SRZENIAVAM.* tot Regnîs innataſſe, quod fluctibus, & totCæſarum vexiſſe Fortunas, quot cum effuſo Martis ſangvine, Imperia ſcaturirent. Iam tandem Vobis magna pars terræ, in littus non ſuffecerat. Ergo ubi major pars Orbis, *CLAVDIVS DRVZVS* Romam navigat, ſe ſolo, & Imperium facturus, & Tyberim. Amplum hoc! ſed in noſtram felicitatem, adhuc ne gutta eſſet, niſi Vobîs; ideſt, *Cæſarum Sangvine* Poloniæ relictîs, vicina Regna viduaſſet. Hinc ferrea illa ætate, quâ necdum aurum portare didicerant, capita Sarmatis imperantia, Saturni Nobis fluxerunt tempora, *AVRELIO DRVZO*, Pactolô illô! tot gemmîs, quot *LVBOMIRIIS* æſtimando, ſe Lechiæ infundente. Necdum tunc coronata Maria (Reges in telligo, quibus altum honoris ingens) novit Polonia, cum primum Veſtri fontem, *DRVZYVS* hic

*teſtante privilegio Leſconis Domui Lubomirſciana dato anno 1205.*

1199

*Aurelius Druz9 primo venit in Poloniam, antequam Reges eſſēt*

 du-

duceret in Poloniam; ut vel primi Reges esſetis, vel Soli: Quaſi uſque eo, in noſtra Balthide, clenodia defeciſsent, donec *SRZENIAVA*, vobîs gemmîs adnataſet; Lechico diademati inſerendîs. Primus hic itaq; purpurata ſcaturigine Veſter latex; & quod Eridano (quamvis hic Orbem decurrat, commune non eſt,) ab origine Magnus, ne dicam! immenſus. Eo optarent decurrere Cæleſtes rivi, ſi intra terrarum margines poſſent effluere; Eo ebullirent in venas, honorum Oceani, ſi à Titulis *Illuſtriſſimis* incaleſcerent. Neq; alta oblivone, demerſit Nomen Polonia, quod tam amplâ gloriâ, omnem Sarmatiæ campum inundavit. Nullus agger obſtitit titulis, quin impetu fluentis aquæ, delaberentur in *DRVZYOS*: Compertum etenim fuerat, in illo Sanguinis Veſtri Rubicone, pulchriùs trabeas purpuraſcere, quàm ſi integrum ſorberent Tyrum. Auguſtiùs tingi murices, quàm ſi in honorum Pantheo, Deorũ cruorem exhaurirent. Immortales Vobis gratiæ! tutelaria Poloniæ Numina *LVBOMIRII*: quod primum *SRZENIAVÆ*. Veſtri Fontem, intra noſtra littora, Lechicis honoribus permiſeritis ſalu-

lutatum. Occurrerunt primi Tituli, Fluvium intra venas accepturi, quô & cor Patriæ auguſtiùs viveret; & integra rerum Polonarum facies, ad vivi imaginem honoris pingeretur. Habuit tamen, quod Vobîs venientibûs, non citra tenuitatis verecundiam, erubeſceret Polonia; nam cum ſumma etiam offerret, minora videbantur, quàm merebamini: Ita nullus ad Veſtrorum meritorum menſuram honor, quantumvis Celſiſſimus! Quomodo Dii ſupra terras; ita *LVBOMIRII*, ſupra clavas, ſupra ſceptra, ſcipiones, curules, & thronos poſiti; ut quod aliis caput rei, Vobis nec talos excedere videatur, quibus prima etiam in Poloniam planta celſiſſima, velut Solis oriens illuſtriſſimus. Recenſerem per clavas, Exercituum Regni *DVCES DRVZYOS*: niſi ille, Major Hercule, *HERACLIVS*, quomodo olim hoſtes Patriæ, animi ſui terrore, palleſcere etiam paginam coegiſſet. Tota illi Lechia campus; & vix non integer orbis acies: quia etiam ſe ipſo Caſtra. Stupendum Viri ingenium! ubi *SRZENIAVAM* ſuum, Lechia capere non potuit, ferri fluctibûs, ampliora interſodit littora, hoſteq; fuſo, protendit Po

Heraclius Druzus Regni Exercituũ Dux

D lon

loniam, ultra Regnum. Flumine igneo, inter arma, fluere videbantur triumphi, nisi Avito Vado, ingentes supernatassent terræ, & spolia cum divite populo, in nostrum littus exponerentur. Fudisset & orbem! nisi posteris, (idest Vobis *LVBOMIRIIS*) potiorem victoriæ partem, Fortuna relinqueret; quæ in Vestri animi gloriam redundaret. Vt verò fervens ad bella *SRZENIAVA*, in Heraclio intepesceret, suam injuria Polonis felicitatibus Mors, hyemem immisit. At suppar cum fatis Heros confligere, etiam vulnus, quod sensit, non timuit. Occubuit tamen, sed more colossi, qui etiam iacendo validus, hostem opprimit, cadendo. Ne verò totus interiret Pater, reliquit Filium *NICOLAVM DRVZVM Palatinum Cracoviensem*. O! quantus Senator hic! officiô & gestîs. Majestatem Polonam reddidit digniorem, se ipso digno. Tanta Vobis antiquitas hujus purpuræ! tanta generis amplitudo! tanta inundatio honorum! Nascuntur repente alibi, Domi Vestræ Cracovienses murices consenuerunt. Multis, modo primum in cunis agitantur trabeæ, Vobis iam canos induerunt, maturuerunt

*Nicolaus Druzus Palat: Craco:*

digni-

dignitates adulto meritorum fructu coronatæ.

At tantumne hic color eſt? quo Veſtræ dignitatis exemplaria, tituloſq; depingitis? Indulgebis *Illuſtriſſime Palatine*, iterum illi alto profundiùs calamum immittimus, quô trabeata Polonis ſolatia emerſerunt. Poſt *DRVZYOS*. ſæculis laudandos, ſtylum deflectimus, ad *LVBOMIRIOS*, æternitate coronandos. Quomodo enim Domûs veſtræ lineam ducitis; ita punctum honoris promovemus, quod dicendorum à nobis, apex eſt, Olympô major. Exceſſit quidem omnes titulos, ſed non exceſſit memoriam, quomodo à *DRVZYIS*, ad *LVBOMIRIOS*, Nomen illud purpureum, tantum æſtimãdum, quantum Orbis, deventum. Scilicet, quomodo ab ortu ſoles, ad augem transferuntur. Cum omnia pro Patria egiſſetis, etiam grandia egiſtis Nomina; ut cõſtaret: tam Polonæ, quàm propriæ Vos ipſos Fortunæ Fabros. Quanta in hoc Vocabulo ſyllabarum concordia? quanta ſvavitas? Nec appellari poteſtis *LVBOMIRII*, niſi ſimul Amores Patriæ nuncupemini. Et quidem nõ commune hoc No-

*Primꝰ Marcus Druzus nominatur de Lubomirz Comes. & Caſtellanꝰ Zavicho: circa Annũ 1200.*

Dz                men,

men, sed vobis solis *Proprium*, Vestræq; gloriæ *Appellativum*. Deessent alia ad majestatem *DRVZORVM*, in *LVBOMIRIIS* habentur omnia in compendio, ut Troja in nucleo. Tanti nec à multiplicatis per Regna meritis *DRVZYI*, nisi simul essent *LVBOMIRII*. Rediret in authorem honor, nisi omnes, pro optimo Nomine desudetis, Poloniæ *Optimates*. Primum post vocabula Imperatorum, *Illustrissimum MARCVM* de *Lubomirz* Comitem, & *Castellanum Zavichostensem*, fasti referunt Sarmatici. Minùs dicerent? nisi simul Gentis Vestræ gloriam, immortalis fama peroraret, & qua talem, *Lesconis* oracula approbarent. Evicerunt nimirum merita Herois, ut Supremum Sarmatiæ caput, sua ad elogia inclinaretur. Et merito! Vt enim assurgeret Ducalis stylus, summi Viri encomiô debuit eminere. Vt pro condigno laudaretur *LVBOMIRIVS*, non potuit, nisi à Principe: quia neq; Reges efferuntur digniùs quàm dum Vos efferunt. Neq; Vobis ad mensuram meritorum gloria prodit, nisi à Regibus. Vt enim seculis adamaretur, Ducali adamante, scribi nomen

debu-

debuerat; quia dignum. Vt æſtimaretur, liquato in gemmas frontis ſudore, paginæ affundi; quia carum. Quodq; ſimul validum ſit, non minùs Sarmatici Principis, quàm Gradivi ſtylô, optaverat inſculpi. Ter rarum enim Numina *LVBOMIRII*, Reges Duceſq; Mercurios, ſcilicet pro Domo meremini Oratores. At minor eſſet laudatio *Leſconis*, niſi Viri merita paginam impleviſſent. Difficile panegyris negotium, ubi quod laudetur abeſt: Nomen Veſtrum, ut ſui, ſic rectefactorum copiã facit. Exundant hic Taciti, materiam ſcribendorum, non ſitiunt Tantali Oratores, ſed neq; Nos adhuc areſcimus.

Rarum hoc quidem in orbe decus, Veſtræ tamen Domui familiare, tot in ea merita, trabeaſq; naſci, quod *LVBOMIRIOS*. Aliud non tot homines, quot Genus Veſtrum, edidit *Patritios*. Pingendis trabeis, vix Tyrus Vobis ſufficit muricem, vix tota Sydon. Quaſi integer honoratæ Lechiæ vultus, Vos ſoli, & origo purpurarũ. Adeòq;, in curias, & curules, vix adlegi deberetis, ſatis eſt *LVBOMIRIVM* naſci! iam Dux, iam Princeps, iam Senator, & quia *DRVZYVS* quilibet, iam Cæſar.

Labbe. *Pectore vix alitur quisqam, sed lacte relicto.*
*Mox ostrum Gens tota bibit - - - -*

Vobis pro fasciis purpuræ, pro cunabulis curules, Vagitus oraculum consultorium, infantia Senatus & Regnum. Quid quid in Ornatissimæ Familiæ admittitis gloriam, propriîs meritîs, & Vestro rubet sangvine. Irruunt tamen in cognata sibi limina etiam purpuræ, & veluti rectefactorum reæ, à Ve stris ambiunt pendere lacertis: quod aut Chryzolitô volvatur *SRZENIAVA* Gẽtiliti⁹, aureis honorib⁹ trahẽdis natô, aut quili bet titulus aquilã suppleat, quod ad Vos *Illu strissimos* Poloniæ Soles, convolet. Irem per singulos antiquissimorum honorũ Atlantes, quibus & grande Nominis Vestri Astrum, & totus Poloniæ Orbis innititur. Sed quis adeo sublimis stylus? ut Summa Gentis Vestræ decora attingere conetur? Audax Oratoris negotium esset, calamum naufragio committere, & per illud gloriæ æquor, velle vehi puppe, in quo grandiores etiam Tullianæ classes sorberentur. Quantum enim Vobis Sangvinis Altum? sive Erythrum dicam! ab animorum unionibus, sive Rubrum mare, à trabeis, sive ab immẽsitate Nominis, Oceanum. Quanta Polo-

ni

ni Nominis ſublimitas? ille Principum hæres, Senatus Caput, & ſi ex natalibus nominemus? Cæſarum ſangvis, ſi ex rectefactorum Majeſtate? *PAVLVS LVBOMIRIVS Palatinus Lublinenſis.* Vir tantus! qui ſi inveniſſet Poloniam, feciſſet ſenatoriam. Non minùs Orbis Patrius, quã tot jaculis, quot bellis ſaucius Lublinenſis Cervus, ad ſuam olim in illo anhelavit felicitatem, ut gemmeâ Aviti Fluminis conflueret tempeſtate, meritorum fundum neſciente. Confluxit! Suoq; amne, abluit vulnera, obligavit purpurâ, ſitimq; immortalis gloriæ ita extinxit, ut accenderet. Pulchrum vidiſſe fuerat, Vrbem, quaſi Vnum Vice-Regiæ Majeſtatis orbem, velut unô Alexandrô, uno Senatore plenam. Neq; enim diu areſcere permisit populi deſideria; Vt manum in hoſtes fundendos, ſic cor effudit in Patriam. Tam docta, quàm fortia, ſecundo Flumine, tulit ſubſidia, ut ne diẽ quidem effluere pateretur, quin in cõmoda Regni, in cõmiſſæ ſibi Provinciæ felicitatem deſudaſset. Hinc furentium belli fluctuum; Pacator quidam Neptunus diceba tur. In ſubitis Patriæ periculis Oraculũ, & facilis ad reſponſa ſalubria Tripos, adora-

*Illmꝰ Paulꝰ Lubomirſki Palatinꝰ Lubli: Togâ ſagoq; clariſſimus.*

Ez

rabatur. Advertit Polonia idem sui *SRZENIAVÆ* ingenium, quod Ponto, viventibus undis animato, salutem nimirum Patriæ conservare, eiici cadavera populorum. Sive enim disruptorum animorum uniones, sive absorbendis gravibus Patriæ, hostium onerariis, Charybdes quærerentur, uno in *SRZENIAVA*, uno hbuit in *Palatino* Sarmatia. Innumeros Martio cruore irroravit campos, ut perfidas Vicinas Poloniæ Gentes, *Fidem* Lechis *PAVLVS* servare docuisset. Non una suo gladio percussa Regna, à belli insolentia resipuêre; quod hoc solius Nominis terrore effecisset, ut maxima hostium illuvies, magis metueret Poloniam in *LVBOMIRIO*, quàm si integer præ oculis, stetisset exercitus. Nunquam enim ad bella, cum aquilis volavit militaribus, nisi Regno tranquillitatem, Fortunam Patriæ, sibi victoriam allaturus. Et hoc est Togâ, sagôq; graves esse *LVBOMIRIOS*, in quorum curulibus melius lassa salus Patriæ quiescit, quàm si Regum solîs consedisset.

*Eius Filius Adalbertus ad Electionẽ Rudolphi IImi. Austriaci Imperatoris, Legatus.*

Sed nec minor Egeone Hercules, Patri, non impar Natus. Ita enim, quodam excessu dignitatis, post maximos, summi sem-

ſemper ſuccedent *LVBOMIRII*, donec ad Te *Celſiſſime Palatine*, qui omnium Corona es, & veluti in faſtigio apex, feſſa devenerit Oratio. Vnicum quæſo! ut intel ligas, Tua hæc eſſe, quæ Majoribus tribuuntur elogia. Ideo verò in tot diviſa prodeunt Nomina; ut palam ſit, quantorum Virorum merita, habeas in toto, in quo nõ minus decora Domûs *Illuſtriſſimæ*, quàm in axe ſidera,quàm ſolis radij,concentrantur in cryſtallo. Scribi hæc de Te omnia debuerant, niſi tenuitati noſtræ conſultum eſſet, ne primas calami vires Tui Nominis mole obrueremus, antequàm ſat ingentia *Majorum* merita, Te tamen minora, didicerit portare. Iam Auſtria, id eſt, Veſtræ gloriæ theatrum, aperitur. Non enim Patrij ſolum Lares, verùm & Orbis integer habet, quod in Vobis miretur, & adoret. Vos enim ſoli eſtis! quibus & Regna condere, & Cæſares conſtituere, perquàm familiare, ac in Patria promereri. Aliquot Annorum labor, fatigavit Teutones, ut ſuo Imperatori Solium conſtruxiſſent. Quiſqꝫ propriã magnitudinẽ attollebat ad Coronam, & veluti Romanæ Vrbis mænia conderentur, etiam affuſo ſangvine, erigebat throni

machinam. Nunquam tamen inter ſciſſos partium animos, ſtetiſſet Cæſarea moles, niſi manum operi admoviſſet *LVBOMIRIVS*, cui utpote Cæſarum Nepoti, non ſolum Electore oraculo, Imperatorem declarare, ſed etiam facere, fuerat, non incongruum. Navigat itaq; *Fortuna Cæſarum*, Regni os, Majeſtatis Polonæ Vox publica, Mentis Boleſlai interpres, Legatus Elector, an eligendus, (niſi quod Patrij magis placuerint honores, quàm alieni: tantumq; ad Nominis claritudinem lucis ſupereſſet, ut donare potius liberaliſſimus Princeps poſſet, quàm more Promethei, radium ab exteris Solibus acceptare.) Totam ſecum viſus ferre Poloniam, quod minùs adhuc ad Majeſtatem eſſet, ſi primo geſta Virum, nō præcederent, quæ *Rudolpho* Suffragiorū numerum, & facerent, & complerent. O! quantum jam, inter illa exteri Cæli ſidera emicuit! non ſolum conſilorum luce, verum etiam ipſius Nominis ſereno. Mitto pretia Gemmæ Poloniæ, in alieno Orbe, velut Annulo! Vnus tot valuit, quot omnia Regnorum decora. Sive enim ad libram Iudicij, grande Imperij vocaretur momentum! Mens Polona, ingeniorum lancem de-

pre-

preſſit: tantô Authoritatis pondere, ut totum Imperium, in *Rudolphi* partes inclinaret. Sive perorarunt alij! perſvaſit *LVBOMIRIVS*, tanta felicitate, ut diſcordibus animis, aſſenſum imperare videretur. Sive luctaretur vota: Ille evicit; tanta oris ſtrenuitate! ut palmam aliis ad coronam præripuerit, pro quo, ſua certavit ratio. Stupuit in Polono Oratore, illam eloquii ſublimitatem Germania, quàm Imperatoriæ etiam Alitis ingenium, vix poterat attingere, capite quantumvis geminato. Adoravit propitium ſuo ſolio Numen *Rudolphus* palamq; publicô Coloniæ edictô fecit, nō Electores tantum, ſed etiam Creatores Cæſarum *LVBOMIRIOS*. Vtq; Teutonicis Regnis, Veſtro Sangvine pretium affunderet, Legatum, Gentemq; integram, Comitum per Alemanniam, & totum Romanum Imperium, titulîs, inſignivit. Legite rores hos Coronati Capitis, *LVBOMIRIANI* Sangvinis Maria. Domi veſtræ concreſcunt in gemmas, ut in Concha. Fragmenta ſunt, & veluti radij ſolis Auſtriaci, ad Veſtrorum diem meritorum. Quidni autem pro Veſtri Nominis dignitate ſollicita eſſent Regna, in quo Regnorum poni-

*Ex diplomate, Rudolphi Cæſaris, Domui Lubomirſcianæ dato. Anno 1277. 18. 10bris, Coloniæ.*

nitur felicitas, quam à nemine magis ſperare poſſunt, quàm à Vobis. Quot quot enim longa ætatum ſucceſſione Veſtra cū Gente, Regum ſcepra creverant, aruiſſent, niſi *LVBOMIRIIS* ſudoribus, & avitô *SRZENIAVA* irrorarentur, Quæ ſibi aurea Fortuna porrexit poma, eriperet infortunium, aut funeſta cataſtrophe mutaret in mala, niſi Domus Veſtra, quam etiam Regnorum metuunt pericula, obſtitiſſet. Illi enim, & agere ſumma, & audere maxima, & efficere ingentia, non magìs in conſvetudinem, quàm tranſiit in naturam. Caſtorem Polluci *LVBOMIRIVM* confero *LVBOMIRIO*. Vtrumq; ingentem: Primum conſiliô infractum, Hunc Marte Aheneum, niſi unde erectò Caucaſô latè patet Hungaria, Illum etiàm probaverit, Virum aureum, ut in Lydio. Horret calamus referre in paginam, quod nuper ſtylö per cicatrices ferreô, Mars Polonus, ſcipſerat in umbone. Quâ terrâ, quâ mari, quâ innumerarum cervicibûs ferarum, Helluo ille Regnorum, bellua Biſtonica, Solimanus, bellum advexerat *Ludovico* Regi, quaſi & terras expugnaturus eſſet, & Cælum. Furoes barba-

*Frater Illmi: Alberti Lubomirſki Ludovico Regi Hungariæ fert ſuppetiq; contra Solimanū & Regiā Vrbē Albam vindicat.*

baros, per omnia diffudit, adeò: ût colles ipſos Hungariæ, in Gentem chalybeam, armare videretur, contra Gentem. Iam diu ſub Getico jugo, ſtabant montium Iuga, & hoſtis aciem vulneribûs arabat. Veluti ad orbis funeſta deſcendiſſet, mortes undiq; ſeminabat; ipſos brevi albentes terrore, veluti ad meſſem cãpos, cũ *Alba* Regia, vel daturus in jugulũ, vel cõſtrictos ut paleas trituraturus in pulverẽ. Gemebat ſub armorũ pondere tellus, quomodo nec ſuo incluſus tauro Phalaris, remugiret. Perſtringebat oculos, verberabat pupillas, fulgor ferri, ſed plus Regalem animum! Civitas verò Regia *Alba*, quaſi tumulum meditaretur, ex nitrato pulvere, propè pullam induebat: ipſa ſuis incolis, futura vel funus, vel fumus. Non procul aberat, ut inter claſſica conclamaretur de Hungaria: tantum ſibi fata perſvaſerant! Quis enim illum terrorem mundi pulſaret? Quis pendenti in littore Danubij Vrbi, ultimam in naufragio fortunæ, tabulam porrigeret? Quis tot terrarum cladibûs, ſaginatum vinceret prædonẽ? Agite Vos *LVBOMIRII!* animæ ad bella natæ, & triumphos! Vrgete Viam! ſuccurrendum eſt! Pulſate! vincite! Mundi hoſ-

tes profligate! Feliciter caſuram belli aleam, ſi Veſtra manu iaciatur. Immò, ſi unus Domûs Veſtræ Alcides ſteterit, (quo modo Thæbana olim) Porta Othomanica, efferetur extra Regnum, forti brachio. Plus enim ſolô Nominis poteſtis terrore, quàm Turca armis. A Veſtra felicitate, pendet Hungaria, expedite cohortes! Ita factum: Proceſſit unus *LVBOMIRIVS*, & quē hoſtem vix poſſent Exeritus, vicit ſolus (*ſufficit enim, ut Luna extinguatur Othomanica, unum LVBOMIRIVM in Caſtris oriri Solem*) Veluti clavam Herculis ſenſiſſent monſtra Orientis, in victoriæ prodigium abiêre, Omneq; caput, in adorationem Alcidæ Poloni, depoſuit Biſton hydra. Redditus à Vobis *Ludovico, Ludovicus*: & quam hoſtes pene acceperant, Veſtra Manu, ſibi reſtituta Hungaria. Dicamne modo Vos terrarum Annibales? quibus nec per colla hoſtium, nec per colles montium, animus laſſatur & Fortuna, ingentia moliendo? Sed ut Marti, ſic Veſtræ gloriæ adhuc plus ultra.

Iam quidem in uno Regno ſiluit claſſicum militare. Veſtrîs armîs evicta, veluti ad quandam ſuperbiam victoriæ, intu-

mu-

muit liberatîs montibûs Hungaria. Ecce iterum, quà latè diffuſis Vrbibus fluit Imperium, formidandus litui herror intonat.

Vocale belli malum, per Regna auditur; veluti à caſu fortior, Biſtonius ſurgeret Anthæus, Veſtram, ideſt Herculeam manum provocat, & vires. ( Indulgebis *Celſiſſime Palatine!* Indignamur triumphis ante actis, quod totum Orientem non extinxerint. Sed ſimul amamus relictos hoſtes, qui à Tuo *Atavo.* vincerentur, ut palam ſit; à Marte, & Genus Te ducere, & ſangvinem, trabeis concolorem. Quam enim ſuperinduis purpuram, non muricis labore, ſed Tuîs, Majorumq; picta rubet meritîs, Non enim ut augeat gloriæ Pelagum, gutta hæc Tyri Oceano illabitur, ſed ut à Nominis Tui amplitudine decus hauriat, vel ideo: quia purpureô affunditur æquori. Contentio hæc honoris in Tua atria, ideo eſt: quia tot illicia meritorum, tot Virorum abundantiam, tot in Te ſentit invitamenta Virtutum, quot omnes *LVBOMIRIOS,* unus complecteris *THEODORVS.* ) Inter immortalia Domûs Tuæ decora, autumo *Illuſtriſſimum Sebaſtianum.* Huic Atlanti, ( quod ipſe *Rudolphus* ferre non

*Illmus Sebaſtianus Lubomirſki Caſtel: Voinicen: Sādec:*

*Scepus Capita Rudolpho 2do adversus Turcam adstitit.*

potuit.) totum Lunæ Cælum commisit: ut gravem Gigantibus etiam Regnis sarcinam, solus forti brachio sustulisset. Fecit! & quod ne iunctis quidem manibus alii, ille pollice. Ipsi Othomanicæ labores Lunæ, Heroi nostro triumphum confecerunt. Eminuit augustiùs utrôq; cornu victoria, & quæ natura laurui est, crevit *Lubomirio*, Luna decrescente. Adoravit Oriens, Coævam Romanæ Nobilitati, (cui Cinthia in pedibus ponebatur) Gentem *DRVZORVM*, cum victorem plantam, non iam ad fastum, sed insani ausûs veniam petitura circumplectere cogeretur: et cruenta strage, (veluti Ecclypsim pateretur dum vulnera,) scelus, quod in Cæsarem commiserat, coram vindice *LVBOMIRIO*, in sangvine erubescere. Vnum tantæ fortitudini deesse videbatur, copia scilicet vincendorum; quod vel pauci in acie superessent hostes, vel nulli, totô pænè extinctô Regnô Lunæ. Iacebant cicatricibus saginati, sine ordine, sine numero trunci: & adhuc ipsæ mortes, Heroem gladium timere videbantur. Nullusq; honor esset cæsis stipitibus, nisi hiantia ferrô vulnera, Vestræ gloriæ fecissent Mercurios. Quid ad hæc

*Ru-*

*Rudolphus*? Docuit scilicet ætates oraculô (quamvis nullæ adhuc Vestræ gloriæ rudes extiterint) etiam Regna non esse secura, nisi *LVBOMIRIA* manu defendantur. Et verò Vobis hoc solis competit, & facere Imperia, & tueri. Sed necdũ, quamvis tot è medio sublatis cadaveribus, lassa victoria quievit Polono Macedoni; quod veluti Spartana gente educaretur, armatas in casside noctes, ubiq; vigilaret, etiam in Patria. Ignavum ducens, si etiam fractus decumberet, ubi mgnis rebus est occurrendum. Quid si subsisteret infractus? ubi vita Patriæ in decursu. Post Lunas ergo in arcum triumphalem fractas, Leones fatigandi erant, Alcidæ nostro, & Dracones, tantòq; difficilior imminebat acies cum feris, quantò periculosior victoria, cum monstris: quibus præter animam, nihil hominis, præter Europæum vultum, omnia Africana, etiam mores. Sed etiam tantò certiùs pendebat palmæ, quantò crescunt uberiùs, ubi maximè grave est. Smolenscum scilicet, Vrbs ad libertatẽ nata, quæ pertinacibus muris, velut carcere, aut tũulô tenebatur, Heroico *Sebastiani* spiritu animanda, & exarmanda fuerat: Sveticæq; ac

*Sigismundo 3tio ad est in obsidione Smolensci.*

H Mos-

Moſchoviticæ colligationis nodus, quô Vrbem arctiùs ſtrinxerant, veluti Alexandri gladiô fuerat reſcindendus. O! quanta tunc fregit robora! Leones velut labiles ariſtæ corruêre, & cum ſua præcluderentur receptacula Draconibus, tumulîs condebantur; quod dum Vrbe noluerint, terrîs excedere coacti, & è vivis. Triumpharunt tamen aliqui! ſed fugâ. Alii ſi non Parcas, liberales humerîs ferebant cicatrices; quod hæc ipſis ſolum ſpolia, a Polono Heroe relinquerentur, ex campo, in Patriam aſportanda. Magìs tamen adhuc triumphaſſet conſervator Regnorum, & Pater *Sebaſtianus*, niſi laurui ex una parte, funeſtam *Filij* cupreſſum ex altera, mors oppoſuiſſet immatura. Veluti via hoſtibus non poſſet præcludi in Patriam, niſi Heroicæ Domûs Achilles, fulcrum ruentis Poloniæ, triumphale Cadaver, obicem ſuppleret cadendo. Veluti non poſſet eminere victrix acies, niſi ad faſtigium antemuralis coronæ, funeribûs im palleſcentem Gemmam Poloniæ, mors in ſeruiſſet Genitori. Ita ſanè, ut honor, ſic ſuus fatis erat horror. Minùs timeret hoſtis, niſi in exſangui Herois vultu, ſuperſtes ſibi ira minaretur. Minùs gravaretur peri-

*Filius ejus Ioachimus Occumbit in obſidione Smolenſci.*

cu-

culîs, niſi ſe triumphali caſu, Hector Poloniæ, opprimeret. Plus vicit Pater, dum ut *Filium* pro Patria perderet, ſe vicit. Præluſit Heroico cineri, excitato pulvere, mortis cauſa; præluxit excitato igne, Viri exequiis illuſtriſſimis. Et erat quædam ipſis in fatis pompa. In corpore verò per plures mortes diviſo, Patriæ integritas reſidebat. Et verò tam ingenti ruina Veſtri ſangvinis, ſtetit tunc Polonia inclinata, cujus Vos ſemper & faſtigium, & fundamentum: ideſt, & eminere capaces in fronte, & quantumvis per funera Vos demittendo erigere. Plus dicam! Vobîs ſolîs, & Patriam conſtituere, & Regna etiam collapſa.

Non ſine lachrymis tamen (ut par eſt, Magnorum caſus) ejus fatis immoriens, excepit grata Patria, adeò: ut ipſa *Sigiſmundi III.* Regalis purpura, ſervatorem ſuum, ſine pudore, videretur lamentari. Non poſſunt enim parvi gemitus, ingentes excipere dolores. Debet eſſe pretium in lachrymis, æquale ruinæ magnæ. Maximum! ſi veſtræ Domûs Atlantes corruant. At ſpes, quas de uno grandes conceperat, penſavit alter; *Celſiſſimus & Illuſtriſſimus Staniſlaus Lubomirſki, Palatinus* Cracovienſis:

Exercituum Regni *Dux. Proavus Tuus*, & *Antecessor*, nisi quod & Ille, iam à Te vinci gaudeat, cui & purpuram cessit, & merita *Nepoti*. Optat tamen adhuc dici Major Tuus, sed quem & alto murice, & rectè factorum gloriâ adæquas, immortalitatem Nominis, ultra fatorum confinia protendendo. Æquè Nobis occurris laudandus in Illo, ut in aliis, quorum non tam meminimus, sed quod merita paginam arctaverint, obliti. Si sæculorum judicum de *Proavo Tuo* requiras! dicent, Procerum Poloniæ illum esse compendium, meritorum summam, si verò pro arte ingenii, Principum horologium, quis iterum conficeret? Illum vocaret: quô Senatore, quô Duce, quô Patre, horas Polonia non vixit, nisi secundissimas. At quæ hæc adhuc Romanîs Maximîs, Majoris Viri laudatio? Diximus! Procerum compendium: quod merita omniũ collegerit. Minùs narramus! si absq; assentationis simultate, excedere etiam loquimur. Parce *Illustrissime Palatine!* calamo, n elogiis *Proavi Tui* aberranti. Et quomiodo non indignaberis? Vocavit Compendium: arctando quodammodo Virum, quem gesta per Orbem extenderunt, & non de

Re-

Republica tantum, non de Imperio, ſed de tota, quanta quanta eſt Chriſtianitate, voluerunt eſſe bene-meritum. Niſi iam multùm calami, Veſtro Marti militaverit, iterum fuſum hoſtem, vallorum aggeres, ad Cho timum *Srzeniavâ* Superatos, ſanguinea tempeſtate abſorptos Turcas, provocarem ad medium, ut *Dux* invictus olim ad aciem. Pugnatum etenim eſt, ( ut Vobis ſemper ) non ſine laurea, non ſine triumpho, *Staniſlaô*, ipſis Audacibus gladijs imperante, quod tot Poloniæ oleas, quot hoſtibus cupreſſos, vel ipſo nutu magnæ dexteræ indicaſſet : adeò , ut vocalis Bellatoris echo, non ære conflatîs tormentîs tantum, ſed totô Europæ Taurô, cladem hoſtium,, *Ducis* victoriam perſonaret. Sed minùs eſſet fortem aquilam, apparere intra nidum, ſi foris etiam pugnatores ungues, non acueret in hoſtem. Minùs intra cunas Herculem angues diſcerpere; ſi ſe monſtra non timeant in Lerna. At *Ducem* noſtrum ubiq; pericula, ut verebantur, ſic reverebantur. Nuper biceps Imperii Ales, uno rebellis dexteræ ictu, tantum utrumq; verticem non depoſuerat, niſi Lechicus Heros, ſuo vulnus enſe exciperet, & Polonæ Aquilæ

*Dux ad Chotimum & victor.*

*Ferdinando 3. Cæſari, Fert ſuppetias.*

uncum, pro Aquilis opponeret Germanis. Iam totâ Auſtriâ, calor belli tepuerat, tunc cum maximè Mars inteſtinus ferveret. Vrbes & populi, obriguerant in glaciem; & hoſticum urebat. Ipſæ ſibi Iovis Miniſtræ deerant, quæ igneſcentes auſus, aut fulmine extinguerent: aut populum ad bella accenderent, terrore, ut gelu conſtrictum. Iamq; parum aberat, ut funeſta Metamorphoſi, Regna ex occaſu, in frigidum abirent Septemtrionem, tantum domeſtico horrore algebant! Et ecce Polonus Ales advolat: Auſtriaco Iovi, non æſtus exiguos, ſed fulmen belli Scipiadam, ſed Imperij cuſtodem flammam *Lubomirium*, ſubminiſtrans. Incandenſcunt ergo arma, uruntur hoſtes, æſtuat Gradivus, ac tandem felici incendio, ignes fatui, Polonis ignibus, extingvuntur. Tunc primum benè incaluit Auſtria, cum inter æſtus Martis Sarmatici, effuſum hoſtium cruorem, biberet liberaliſſimè. At *Dux* in tanto incendio, nihil præter gloriam ſitivit, & quod propriîs ſudoribus, aut Gentilitiô *Srzeniavâ* refrigerium affluxiſſet. Succendit tamen Triumphatori pyras Auſtria, erexit victori arcus, & pro galea, ſacri Romani Imperii Mitram, *Ferdinan*-

*dus*

*dus* impoſuit *Duci.* Felicitas eſt noſtra! in veniſſe guttam, quam Danubius immenſo meritorum affudit Oceano. Haurite oculîs pares Poſteri, quod Cæſares pro ſervata ſalute uni *Lubomirio* propinant, idem vobis omnibus nectar, idem elogium; quia nec diſpar meritum. *In id, à prima ſtatim ætate incubuiſti, non modò ut pervetuſtum Familiæ Tuæ decus conſervares, ac perpetuares, ſed* Verba privilegij Cæſarei. *etiam propriis virtutibus, atq; ornamentis illuſtrares, atq; eveheres. Hocq; ſtudiò accenſus in Patria, Togâ Sagôq; nullius prorſus ibidem, ſive belli, ſive inteſtinæ commotionis, abſq; eximio præſentiæ, fortitudinisq; Tuæ interventu, expers. huiuſq; præclariſsima præſtando, non ſolum de illa, ſed & de ſacro Imperio; totoq; Orbe Chriſtiaſto, optime meritus ſis. Ad hæc ad Imperii præſentes ſedandos motus, ita in eorum exordio ſubmiſsis opportunè, ad obſequium noſtrum, numerosîs ſtrenuorum militum copiîs, intentus fueris, ut niſi lex publica Regni illius, à præclaris cogitationibus, Te poſtmodum revocaſset, pulrimum de rebellione triumphum, Virtus Tua, fideſq;, & in rebus experientia profuiſset. Inſuper Tibi Ipſi, id laudis tribuat Chriſtianitas, quod de ea Turcarum rabie, ex magna parte bellum contra Oſmannum commemorando, cui Ipſe, non ſolum profueris, verum etiam ſumma cum authoritate, fortiter æquè ac feliciter, glorioſèq; confecto præfueris, triumpharit. &c. &c.*

Hæc *Lubomiriani* Nominis elogia, ut Coronatus concluderet Orator Cæſar, ſacri Romani Imperij Mitram poſuit pro periodo. Vt enim pro Pliniis, niſi Trajanos meremini, ita pro orationis membris, Orbis Capita, pro punctis, gemmas. Sed quid hoc adhuc ad meritum *Principis*? Celſiùs ille res Germanas erexit, quàm ſit Mitra, etiam *Celſiſſima.* Indignamur honori! Nõ dum illi ingentia habentur, quæ Vobis obtulerit, quibus etiam ex ſummis offerri poteſt, nihil magnum; Veſtri ſangvinis, & *Srze*

*niavæ* Altô, quaſcunquè celſitudines abſorbente. Verumtamen non me latet Mitræ ingenium, quò tanto impetu agatur; ſcilicet, non ut ſublimitati Veſtræ aliquid ſuperaddat, ſed ut palam faciat, non vile aliquid infra *Lubomirios* decreſcere, & quo ſummi ita attolluntur ut emineant, Vos non ſuffulti, ſed propriò ſummi faſtigiô eluctemini. Illud ſolum ſui acceſſione Ducalis Mitra effecit, ut quæ hactenus Celſiſſima, Domi Veſtræ, ſit celſior, etiam ſe ipſa. Neq; minores Vos reperit *S:R:I:Principum*, Honor maximus, quinimò ſublimior eſſe audiit, dum Veſter eſſe cæpit. Poterat auguſtiore Orbe videri alibi, Domi Veſtræ, non dum poterat, niſi frons, quam inſederat, id eſt Vos Ipſi, majeſtatem, & apicem feciſſetis: tanta Vobis, à ſanguine, & geſtis celſitudo! At parum eſſet, de fracto hoſte, de ſubactis honoribus, niſi etiam de militante Eccleſia, Dux invictus meruiſſet. Nominari debuit, ſi quantum erat, tantum dici pateretur Sanctiſſimus, quod non ſolum Indolem Coronis non imparem, verum & Sanctimoniam ferret, æqualem Triregiis. Vt virtutem ſub Mitra faceret Celſiorem, fecit Principem. Vt frontem quam Cæleſtes Gra-

*Quatuordecem Baſilicas muratas, triginta ex Ligno ædificari iuſſit*

Gratiæ possederant redderet Celsissimam, Ducali Vertice prope accessit ad Orbis Caput. Vtque non vano Nomine diceretur *Stanislaus*, pariter Ecclesias ædificabat exemplô, & aurô, ac Regna ferrô: quasi Gradivi pilîs ludere non posset cum hostibus, nisi simul de manu liberali, gemmîs luderet cum Numinibus. Stant pro immortali gloria, quatuordecem Memnones, Basilicæ, non minùs ad majestatem, quàm ad elogia *Principis* erectæ; omnisque lapis, ut ad regulam, ita ad laudes Fundatoris legitur compositus, æternum probans: quàm se saxeum exhibuerit parcitati, qui pro Romanæ Nobilitatis indole, liberales melioribûs lapillîs dies consignavit. Triginta aliæ, Divorum esse Mecænatem ostentant. Gratiarum proculdubiò auxisset numerum vetustati, & si illâ vixisset superasset; modò gratias meretur immortales. Adeò ad extremum Superis se præstitit munificum, ut cum triumphis & vitæ, orbis defuisset, veluti una restaret, quã expenderet, animam in Cælum dedit: liberalissimus etiam in agone. Occubuit cum illo tota Polonia, quia cum illo tota vixit. Lenivit tamen acerbitatem funerum, quod magno Parenti, major hæres succesisset.

*Ericus Puteanus.* *Gloriosùm* (etenim est) *Majores à Nepotibus, Patres vinci à Filijs, quibus totū dederant, unde vincerent.*

*Sebastianus Georgius Lubomirski supremus Mareschal. Regni.* Iam ex Ducali cinere Heroum Phœnicem animamus *Georgium,* qui Tibi *Palatine* & *Princeps Celsissime* prævolet. Tu tandem, Cæsarum & Regum Nepos, Procerum Hæres, Ducum Successor, Viva Heroum imago, & ut compendiosiùs dicam, Vnus Omnes; subsequaris: quia & ad Palatinæ, cui Te infers Curulis gloriam, & ad grandem meritorum passum, quô incedis, pertinet, tantos præmisisse, ut constet: Illos Te, uno æquasse gradu, qui longo rectefactorum cursu, putabantur inassequibiles. *Avus Tuus* Celsissimus, sub calamū invitatur. Et scribi non potest, nisi se unà cum Illo, Patriæ amor, & cor notet *Vladislai.* Quod amplissimæ Poloniarum non poterant terræ, Vnus implevit Regale pectus, adeò intimus, adeò singulari prudentia potens, ut *Vladislaus* totô Regnô, Ille toto Rege imperaret. Meruit esse Caput Poloniæ, sed dici noluit, nisi Cor Patriæ, id est: in Corpore Reipublicæ primum Vivēs. Fuerat tamen, quod non gressu tantùm Mareschalcus, sed etiam Consiliô, Sarmaticus Scipi-

Scipio, præiret Regibus. Fuerat! quod purpuratæ mentes, ſuo Capiti inſiſterent. Fuerat! quod triumphali *Ducis* Veſtigio, inhæreret Mars Polonus, maximè, ubi fraudulenti hoſtis itinere, veluti ſtratâ impervio chalybe Leſconis viâ, ad belli coronam fuerat decurrendum. Vtinam poſſem ſic ſtylum in elogia acuere, quomodo *Dux* olim enſem. Nunquam Oratori tantum, quantum Sarmatico Heroi ingenium, emicuit, etiam in gladio. Hoſtem in Viris & viribus ſperantem, vicit inexpectatè ſemper. Occulta ſtratagemata fefellit aperto Marte, aſtumq; in perniciem Patriæ latentem, (ſi fortuna aliter non ſineret) etiam depoſito hoſtibus capite, retexit. Septemtrionis gelu, quô Polonum Viſtulam Moſchus cōpreſſerat, ut ferrô ſcinderet, calore bellico aduſſit, & pænè in Sanguinem diſſolvit. Defluebant pavore impallentes, quo dato margine, nives rigidæ, tantùm non ipſe Szeremetus fuſus, niſi ſuperſtitem voluiſſet mucro *Ducis*, ne uno ictu, omnem aciem deleviſſet, ſed ad fortitudinis gloriam ſupereſſet adhuc hoſtis, qui diutiùs *Lubomirium* timeret. Multos tamen pro uno ſuperſtite, terra ſorbuit, & veluti truces vultus intueri

*Szeremetum profligat.*

erubesceret, superimpositis tumulis abscō-
dit. Verbò! tunc primū optime didicit, in-
urbanus adhuc populus, Gentis nostræ mo
res, tantisq; vulnerum plagis, sub Polona
Plaga, melior evasit, cum in spes vanas pos-
sidendæ Lechiæ erectum, non inclinare tā-
tùm, sed & frangere Colla, *Ducis* clava e-
doceret. Similis belli alea cecidit cum alijs,
quod iterum bono Patriæ felicissime præ-
luderet MARS *Lubomirius*. Vt enim ābiguas
Dux nunquam, sic omnino fallaces exper-
tus sortes, temerarius Poloniæ aggressor
Racocius. Cælum nostrum expugnaturus,
tantùm non montes transtulit Hungariæ.
At sensit Iovem in *Lubomirio*, nimiùs a-
nimi Gigas, ubi suorum cladibus jacuit
prostratus. Encelados putasses sub Ætna,
nisi cum veluti palustria, & è cæno enata
monstra suffocarentur, etiam Virorum No-
mina amiserant; quod excinderētur ut arū-
dines, quamvis revera, fortia robora, &
milites essent. Ita enim Vobis facilis lucta
etiam cum grandibus! Quid si memorem,
cicuratos ad Torunium Goticos Leones.
Hi etiam non minùs ac simiæ, vel catuli,
Vestro Marti servire didicerant. Notiores
nunc ex vulnere, quàm ex ungue. Gratias
ta-

tamen malim reddere Sveticis leonibus; quod ubi Veſtri Herculis clavam ſenſerint, ſtatim fugerint, non minùs ſaluti propriæ, quàm noſtræ ſub *Duce Lubomirio* providentes ſecuritati. Nunquam enim feliciùs congredi poterant, quàm retro, ſuæ ſe Patriæ ſervando, at magis telis, perterriti Demoſthenes. At ut illis ad cladem, ita *Duci* ad victoriam ſuffecit, quod fugerint: cui ſive gladio cædere, quod perimat, ſive hoſtem acie cedere, quod metuat, idem fuerat, ac vincere triumphare. Perſequarne ultra hoſtem, calamô, fugientem? Iam perite bella, toties *Srzeniavâ* abſorpta. Patriæ ſaluti dulces hæ vivunt Aquæ, at Vobis hoſtibus, ſunt mare mortuum. Ite in profundum pericula, nam ſi Polonis cum aquilis velitationem adhuc inſtruitis, auſus cereos, cum Icaro, ultore hoc Pelago, eluetis.

Sed præſtat iam tot bellis motos fluctus componere. Tantumne enim in Martis turbido, Domûs Veſtræ piſcabimur uniones? ut non etiam pares coronis Animas, evolvamus ex tranquillo. Quia Cæleſtis origò eſtis, Gemmæ, auroræ ſangvis, inter belli tonitrua, etiam cunas eligitis vocales; ut clarum ſtatim ſit, quæ terris Vobiſcum pretia con-

contingant, habeatq; orbis, quos audiat, hostis, quos metuat, cum etiam neq; nascuntur *Lubomirii*, nisi inter Gradivi fulmina tonantis, ut gemmæ. Accedit ad *Celsissimæ* Gentis æstimationem, post Sagos, quid in Togis ingentes valeant humeri? Quanquã & hi, quos ad Tui *Illustrissime Palatine* ingressûs pompam, in acie præmisimus, Heroum, & Honorum, Castra sunt, trabeatus exercitus, tot purpuræ, quot Viri. Placuit tamen illos in hostium cruore proponere, nõ in ostro, ut constaret, quẽ modò etiã Vestræ trabeæ bibant muricem, & quod non purpuræ tantum, sed claudat etiam lorica animos. Gemino titulo Poloniam tenetis obligatam, & Duces, & Senatores, Omni merito Vestram. Solis tantum Regibus minores, (nisi quod & Coronæ Orbis, Vobis non sufficiat Alexandris) pares summis, & primis Poloniæ Capitibus, quæ aut in Vestri *Srzeniavæ* littora traxistis, aut præcelsa mẽte adæquastis. Mitto alios, ne ipsis gemmeis Vestræ Domûs Nominibus, paginæ margines videar complere, & pro panegyri solìs titulìs, quoddã Volumen Regũ conficere.

Illmus Stanislaus Lubomirski Maresch. Vnum loquor, Polonæ gloriæ Iovem Statorem, Regni famam, Sarmaticum Scipionem

onem, Patrem Patriæ & Tuum *Celsissime* *Palatine*. Deessent alii, ingens Tui argumentum elogij ab uno, quia & purpurarum decus, & honorum amplitudo, & Patriæ felicitas à solo. Hæc etiam deessent! Philippum Alexandri, Patrem dixisse *Stanislaum Theodori*, ingens encomium. Satis enim laudantur Phæbi, si dierum parentes dicantur. Elogium Patris, par Filius, Minor esset Genitor, nisi Te Natum habuisset: Nam & Oceani, licet Orbem alluant immensi, tantum profundum sunt, ubi tamen gemmas Coronis pariunt, Altum esse audiunt, ut his Nomen non humile debeant, debent qui illis vitam. Non sine alto tamen Cæli arcano factum puta, Te ab hac Aurora primum vidisse ortum, quæ & Musis amica dici meruit, & in utroque Orbis theatro, politico scilicet, ac erudito, ad tutelam Patriæ, ad invidiam exterorum, suam lucem explicuit fortunatè, ut clarum esset; qualis Sol futurus sperareris, qui diem Patriæ diceres purpuream, quô & trabeæ illucescerent, & primum Lechicæ felicitatis mane, non minùs honorum auge, quàm luce erudita eveheretur in meridiem. Cõgruum scilicet fuerat, Unione Poloniæ,

*Regni Parens Celsissimi Palatini.*

*In omni literatura eruditissimus.*

Te Gemmam naſci, & politiſſimo Regni, ac ſcientiarum negotiis capiti, Te mentem Patriæ ſuccedere cultiſſimam: ut conſtaret, illum Te modo intra venas claudere ſangvinem, qui & purpuris, & Reginæ Sapientiæ ſupplevit muricem. Quid enim tanti Apollinis poſſet prodire vertice? niſi aut docta ſimul, armataq; Pallas, aut *Theodorus*, id-eſt, qui & re, & Nomine Deorum Munera ſuppleviſſet. Metiriſne *Palatine, Celſiſſimi Parentis* Magnitudinem? Heros ſui ævi extitit, & purpuratus Orator. Sed ambigo, an ingenij acumine, an ferri valentior, hoſtiumne Cæſuris, an carminum, Militaribus, an Rhetoricis, rerum, verborũq; copiis. At evidens eſt, utroq; Marte fuiſſe potentiſſimum; ſcilicet æquè ratione invictum Principem, ac ferro, ita argumentis, ac bellicis tormentis infractum. Tam pulchro conſortio, Bellonam aſſociavit Palladi, ut non minùs enſis impenderit in hoſtem, quàm acutiſſimæ mentis, ad eruditionem ſtrinxerit ſæculorum. Neq; plus lateris occupavit mucro, quàm erudita acies ingenij. Æquè hoſtium pericula, à Herois manu, ut ab ore cultiſſimi Oratoris Regũ, Regnorumq; admiratio pendebat. Vnus

hic

hic *Stanislaus*, Poloniæ Macedo, cui & Ilias Homeri sub capite, & mucro, & Martis, & Oratorij campi aperti, & manus ad palmas triumphales, & frons, ad laureas nata eruditas. Vnus Regni Mareschalcus, cui & Scipio manum implevit, & virga Mercurij: unus, qui & docte fortis, & doctus fortiter extitit. Neq; minùs heroicîs factîs, quàm eruditîs fastîs Patriam implevit. Fulgent adhuc sole clariùs, nulla fatorum nocte extingvendæ, Senatoriæ mentis lucubrationes, oleô docti capitis illustriùs quàm Cleantis lucernâ succensæ, & purpureo Au thori, diem faciunt etiam in umbris, adeò ut Principẽ Celsissimũ, licet totus occubuerit, necdum totum extinctum putemus, quod ab æstu illo docti Capitis, etiam in cinere mortuali, ingenij scintillæ respirent, vivatq; Poloniæ, meliore sui parte, & quomodo Seneca Latio, totus in Capite. Põdus adhuc esset in folijs, Togâ sagôq; graves memorasse Patruos. Et primò *Hieronymum* Castellanum Cracoviensem, Exercituum Regni Ducem, sed iam Galliarum lilia Legatum, suo candore, notarunt digniùs, fastis perennaturæ gloriæ inscribendo. Legit Orbis Majorem meritîs Virum, *Pa-* *Patrui Celsissimi Palatini.*

ribus *Franciæ*, *Ludovicus* Rex, veluti Majestatem Poloni Mercurij aliter capere non posset, aureo torque sibi obligavit, & Regno devicit, Iam insigniverunt laureæ Chotimenses & Zuravenses, DucEMq; totô Cælô clariùs edidit ad lucem, extinctus Oriens. Insuper immortalem gloriam, totô Moravâ quod jam cruor hostium gladiô ex haustus defuisset, trophæis insripsit per vulnera Mars Polonus, ubi ex octo Turcarū, duodecem millibus Scytharum fractis, tot arcus triumphales erexit Duci, quot hostis, unâ cum explosa vita, reliquerat in acie: tantus Vir, citrà pericula Oratorum, neq; efferri, neq; laudari potest; quod ut hostem, sic superat elogia. Comerent incomptam paginæ faciem, pulchra Nomina alii, scilicet, *Alexander*: Capitaneus Sandecensis: *Franciscus* Capitaneus Olsztinensis, nisi primus ut ingentia in Patriam merita, sic magnum Nomen proposuerit Oratori, non periodorum ambitu, sed Orbe capiendu m, adeò ut ad hunc nodū quô implicamur, non acumine ingenii, sed gladiô egeamus ipsius Alexandri, ab infantia Herois, & semper Victoris. Alter præterquàm surda Moravæ littora, ferrö sibi erudiit in encomia, effecit ut

Ge-

Geticîs cicatricibûs, ad pulchram triumphi notam insigniretur Franciscus; at quas non sustineret (quia victrices laurus, quales vos estis, belli fulmina non feriunt.) sed hostibus infligere pateretur. Veniret se uno facturus panegyrim *Celsissimus Georgius*, nisi qui olim, ultra limites Poloniæ, protendit gloriam Succamerarius, hodie meritîs, numerum excederet Oratorium. Non homini, sed sæculis laudandus esset, semper enim æternitate digna laboravit. Ingentē rectefactorum gloriam, Cracoviensi tandē purpurâ remunerata Polonia, id in emeritæ virtutis premia tribuens, quod à Maximis Viri gestis mutuasset. Tota *Palatini* indoles fuerat, Religioni, Patriæ, Senatui, Omnibus, Cælo ipsi, bonum esse. Neminem non reddidit meliorem, se ipso optimo. Taceo munificentiam *Principis*, sub cujus Gratiarum pondere, quotidie sibi in elogiâ desudant marmora. Nunquàm aras fatigavit, coram quibus preces aureas non funderet. Nunquàm Numina allocutus, quin nummis, pro verbis uteretur. Audivit nuper Clarus mons Chryzostomum in Principe, idest non voces tantum, sed & manum percepit auream, tantâq; eloquentiä,

*Mille Aureos dedit Czestochoviam omnes vultu B. V. M. insignitos.*

MZ

tiâ, etiam liberalitatis prodigia, ad taumaturgas Aras augere viſus, ne dicam, complecti. Mille periodorum ambitus rotundiſſimos compoſuit Divinus Orator, utq; ad prodigia ſtylus accederet, quilibet *MARIANVM* vultum, in ſilente auro peroravit: & pronum conjicere fuerat, tantô ſtudiô nummorumq; ſubſidiô, vel Numam Tullium extitiſſe, vel ut pro majeſtate Principis flueret Oratio, diſertos liberalitatis fontes, pretioſo Gangete deſpumaſſe. Verbò vivẽs Liberalitas putabatur, quod *Parcas* in manibus ignoraverit. Reginam ſcientiam Medereci, in auro, ut in Solio collocavit. *IGNATIVM* illuſtriorem ſuæ beneficentiæ reddidit fulgoribûs. Midam experta minima Societas IESV, quam nunquàm ad pedes admiſit, quin non deauraret. Połonnæ erecta Miſſio teſtatur, quantum omnẽ movit lapidem *Fundator* Munificus, ut ſe Nobis velut in Lydio probaret pretioſum. Superum Creditorem diceret, ſi hic loqui poſſet, in aris temploq; ut in cenſu argentum & aurum poſuit, ut ſibi Numina Cælum, fœnoris loco deberent. Quibus verò eloquiis efferrem, ſi Torunenſis nuper cauſæ ſupremum Arbitrum, ad calamum invitarem.

*Torunii pro Fide Catolica Zeloſiſſimo*

rem. Aureus ubiq; hic primò, quod draconem sentiret Fidei, ferreus extitit *Georgius*. O chalybem *Principis* pretiosiorem omni auro! O ferreum Nobis sæculum, obryzô sub Iove tanto æstimandum. Enata nuper in Lerna monstra, septicipes hydræ, errorum avernus, vivæ Religionis pestes, latentes sub herba Evangelij Lernei angves, & ut paucis concludam; Lutheri, non solum in perniciem Vrbis, verum etiam in excidium Cæli conjurarunt. Iam sacrilega cohors emicuit in armis, quorum prius in Divos sæviit animus, quàm ferrũ. Tabulas, quibus se depinxit sanctitas, ore manuq; lacerant, ut cædem Superis, tam ira inferat quàm gladius. Et quod non humilis furor esset, ab Imperatricis Cælorum flammea orditur clade. Vrerentur astra, nisi Vester *Srzeniava* ignes fatuos extingveret. Occumberemus proculdubiò nisi tantis ausibus, gladium Iustitiæ opponeret *Georgius*, & crassius Gabiorum votis conflata colla, velut capita papaverum demeteret Polonus Tarquinius. Sed parces semel, qui nunquàm sceleri pepercisti, *Iustissime Princeps*; ut unam *Sectam* deleres, Te plures Arbitrô fecisti, quia tot, quot cer

N vi-

vices sectas, sed quæ à medico Iudicis vulnere saniùs viverent, & post detractum vindice ferrô, ut scalbrô sangvinem, toto capite convalescerent. Et verò Tibi Acephali debent, quod ad mentem, ac ingenium redierint. Tibi criminum peste afflata Vrbs salutem, Tibi concussæ Aræ integritatem, Tibi Numina honorem, Tibi Roma inter pericula servatam Fidem. Tibi Torunensis Societas IESV vitam. Sed mitto hæc! Quem calamô comprehendere non valemus, jam animum astra cæpêre, totô Cælô subscriptura meritis, quæ nobis vix licuit attingere.

*Celsissimus & Illustrissimus Palatinus Cracoviensis Majorum suorum cõpendium.*

In Tuorum potius *Palatine*, & *Princeps Celsissime* meritorum Altum illabimur: nam quem tot purpureis Nominibus, quot *Lubomiriis*, *Srzeniavæ* Oceanum, hactenus, non citra naufragium styli superavimus, Tuum quidem æquor est, sed & Majoribus debetur. Solus itaq; dicendorum de Te maria effundis, ut nulli tribuantur, præterquàm Tibi, quorum fons primus es, & licet imitator meritorum, sed etiam pluriũ Author. An enim ex Atavis, Abavis, Proavisq; tantum laudari potes? Nunquid omnem iam gloriæ Pelagum exsorbuerint? quin

quin Tua altiore ponto, gesta non affluāt. Nunquid totam meritîs ita fecerunt Poloniam? ut Tu propriîs orbem etiam non posses? Minimè verò: Tuis tantum præiverūt titulis, præluserunt purpuris, antecesserunt curulibus, sed gloriam non superarunt. Immò quantum à Te vinci gaudeant; vel inde est: quod non meritîs tantum, sed terrîs etiam Tibi cesserint. Veluti videri nollent (quamvis illustrissima sidera fuerint, & Poli Poloni Stellæ,) Te Sole in honorum auge posito. Illô solum gestiunt triumphales Majorum Aborigines, quod cum multa pro gloria laboraverint, Tu pro dignitate Tua plura addas, & Illorum: ut non tantum singulos exprimere videaris, verum etiam complecti omnes; ut in Te vivere singuli credantur, quod Patrum sis gloria immortalis. Qomodò enim amplissimum Tyberim, pretiosaq; flumina, Hermos, Tagosq;, in unum Oceanum legimus defluere, ita Majorum sangvinem, per venas, veluti per littora gemmea Tibi decurrere spectamus, & in illis ad Rubrum quoddam purpurarum Mare pingi, suôq; Altô celsiùs augeri. Tu Proavi, Ataviq; solus. Quod si hæc necdum pro Ducali celsitudine elogia, audi Xeno-

Nz phon

phontem, *Patrem, possedisti, dixi omnia.* Verum, hoc etiam necdum ad mensuram Palatinæ Dignitatis accedit argumentū Philosophi, quantumvis sublime: nam & Pater gaudet, quod Tibi altiora debeamus, licet Te adhuc minora: eo tamen amplissima encomia, quia & vera & Tua.

*Xenophon ad Agesilaud apud Plutarchū*

*Ortus Celsissimi Palatini ex Matre Dēhoffia Ejusq; Infantia.*

Quo tamen impetu illud Palatinæ Gloriæ culmen, quo Maximus Majores superas, stylus noster trajiciet? Humilis quidem est, eluctabitur tamen per summa, illaq; primò, per quæ Puer adhuc reptasti fastigia, tentabit: ut constet; quantum etiã à cunis laboraveris, qui felici exitu, Patrum gloriam coronasses O! quàm nihil de Te humile dici potest, etiamsi ad primam vitæ plantam venerabunda ruat Oratio. Adhuc infans, iam in Avito *Denhoffianæ Domûs* vertice, Caput rei extitisti, & dicendorum apex. *Celsissima* nimirum *Elisabetha* ex *Dēhoffiis*, *Parens Tua*, plorantium Tibi annorum sublimis gradus obtigit, & primum vitæ fundamentum Gentilitium Ejus Caput: veluti omne ingenium movere Lucina debuerit, dum Te in lucem ederet, qui nunc primam Senatûs Sarmatici frontem occupares: Veluti eodem fundamento,

quô Romanum Capitolium, vitæ Tuæ auguſtale niti deſideraverit, in quo nunc plura habitarent tutelaria Patriæ Numina, quã olim in Vrbe Dii: Veluti aliter naſci non poſſes, niſi qomodo ſoles oriuntur, qui ab Aurora, hoc eſt, à capite diei prodeunt: ut oſtenderes, quæ Patriæ, quæ Senatui, quæ omnibus, tecum ſerenitas illuxiſſet; quam Gentilitia Palatinatûs Cracovienſis Aquila, modò etiam ſitiviſſet. Et ut paucis primũ vitæ Tuæ mane concludam: Sublimitati Tuæ conſultum eſt;ad cujus excelſum vitæ curſum, *Denhoffiorum Caput* deſcenderet: nimirum, ut a faſtigio, in quod omnia iam ultra deſinunt, meritorum primordia cæpiſſes; Nos autem doceremur, quomodo primo Tibi in Orbe paſſu, datum conſiſtere, Cujus altitudinem, minor etiam infantiæ ætas, non potuit moderari. Ita ſanè, infra Te ut honores, ſic humus fuerat, cum adhuc per Mitras reptaſſes *Puer Celſiſſimus*. Nec prima aure, etiam plorans audiri poteras, non *Princeps*, non *Palatinus*; talem Te nimirum ipſi gemitus ſonabant infantiles. Quis enim futurus eras? legebatur ex lachryma, cui purpuræ arridebant, quod utpote Magnorum Infans, neq; lugere poteras

ras, nisi ad solatia. Quare idem Tibi tunc flere fuerat, quod Patriæ damna plorando solari. Natantem in luctibus pupillam, siccabant murices; Et profuit bibisse lachrymam innocentem, quæ pro Tyro, altis trabeis suffecisset. *Lachrymæ enim Principum, sunt Rubicon purpurarum.* Manifestabat se teneris in annis, indoles ætate major, in flore, adulta decora, veluti tota Consangvinitatis arbor, revivesceret in Vno; in aurora meridies: quod cum nihil par juventuti, omnia Tibi æqualia ageres, egregiis moribus ævi partem exiguam, extendebas ultra senium. Vnde poteras tunc facere Senatorem, cum necdum Virum, Togam induere, cum necdum prætextam exueras, nisi eligeres nunc meritîs inferri curulibus, quã ante, humeris nutricibus attolli ad subsellia, ut omnem ascensum Tibi deberes, non aliis. Has infans spes Honoribus, sed neq; minores fecisti Scientiis. Ideòq; Pallas, non studiô, non labore Tibi olim acquirenda fuerat, quàm eodem Tecum lacte nutrienda, adeò congenita, ut præter incrementa ætatis, nullô aliô egeret. Ita enim cuiq; *Lubomirio*, à natura potiùs, quàm ab arte, innata creditur scientia, non indita. Hinc nõ

Thesauris

Studia Celsissimi Palatini.

mi-

miror in Veſtro *Srzeniava* claſſes non apparere literarias, in quo eruditæ etiam ſorbentur onerariæ. Doceri à Vobis etiam diſcentibus optaret Magiſtra quondam mundi Græcia, tantam ipſi eruditioni adſertis ſcientiam! Vos in Eruditorum Cælo, prima ſidera, in mortalium numero, Intelligentiæ.

*Ipſe quod à Vobis diſcat, Olympus habet.*

Quid litteras Tuas memorem? Vna vitæ januam, ac latiùs centum Thæbearum oſtiîs recluſiſti ingenium, quod Orbis experientiæ adire poſſent, & adhuc erudiri. Hoc extra Romam, Tullios, Catones, Hortēſios, clauſiſti, & adhuc minùs eſſet, niſi ex omnibus referres aliquid, ſupra omnes. Aliquando, cum Te adhuc vix ultra Infantem magnanimus Spiritus dilataret, in Varſavienſi Licæo elegiſti, arenâ colludere literariâ; quaſi experiri optares, an eſſet, quod adhuc ignorares. Colluſiſti ergo! ſed quanta ingenij celeritate? ut finē principiis, apicē, ſciendorū rudimētis cōfunderes, facereſq; cōtroverſum, quādonā incæperis? Erudienti etiam tunc ſimilior, quàm diſcenti, ignorabas, quæ pauci ſciunt. Tanta Tibi fuerant, etiam exordia conſummata! Hinc ſive ad claſſes Pallas invitavit, iam Tu clavô dignus eras, ſive fontes Caſtalios propinavit, iam Tu A-

vito *Srzeniava* eruditam sitim extinxisti, sive Rostra proposuit, Tu Tripodes merebaris, quod semper (quomodo nunc etiam constat) nisi oracula loqui consveveris: illosq; alta mente promebas sensus, qui Senatorem in Toga decerent. adeò ut ipsa Verborum gravitas, non scholasticam cogitationem, sed totius pondus Curiæ præferre videretur. Quid tunc avita Palladis Noctua? scilicet ad solem ingenii cæcutivit. Quid noctes Atticæ? in diem abivêre. Hocq; unum, Te in artibus literarum versante doluerunt Athænei umbræ, quod illas extinxeris. Tantum scilicet scholas adeundo, illustrasti! Mitto avaram cognoscendorum indolem, eloquendi vim, & argutiam, prædatricem librorum sedulitatem, Tecum natam. Festinabas ad codices, plus cum illis temporis consumpturus, quàm cibi. Quare tunc statim omnem bene merentium panem merebaris. Imò si Ducalis mensa invitaret, hanc Tibi etiam *Mundi Mappæ* adornabant, quasi genitum ad sceptra animum, implere non posses, nisi Regnîs, & orbe. Somnia aliquibus Sapientûm, Tibi neq; dormire placuit, nisi vigilias eruditas. Vnde quid quid legeres, subitò in animum trã-

scri-

ſcripſiſti; ex Curtio Alexandros, Germanicos ex Tacito, ex Pharſalia Pompejos, Imperatores, ex Floro, quos non tam addiſceres, ſed in Te lectos videres. Quamobrem, in illa Rege auguſtiſſima Vrbe, Comitiorum Poloniæ theatro, conſiliorũ Tripode, iam in arcana Patriæ, iam in liberæ Gẽtis inſtituta, iam in geſta Principum, iam in antiquitatis memoriam, Infantilis irrumpebat ſolertia, & ſimul in literas. Poteras tunc purpuratorum Patrum implere Senatum, conſulentium ſubſcribere ſententiis, graves Reipublicæ curas, dulci relevare alloquio, quod tantum extemporaneæ dictionis pondus, Infans etiam habueris, quantum non vulgaris, & maturiſſima diligentia, vix præmeditando dediſſet. Et parum abfuit, niſi annîs tunc creſcere maluiſſes, quàm honoribus, & virtutibus ornatiſſimus incedere, quàm trabeis: quæ tamen iam ad menſuram meritorum fuerant, quamvis nondum corporis. Hinc accuſabantur titulîs tempora, quod Te ſera dediſſent. Vltrò tamen erumpentes honores, vix contineri poterãt, quin lacertos purpuræ, ſcipiones manum, totum invaderent, interciperent dignitates. Tu verò illo, quem verecundia ſuffunderet

ret murice, gaudebas magis. Et ut majorem Tui sitim, Polonis accenderes curulibus, relicta expectatione, extra Patriam movisti. Gangetis non dubito esse littora debuerant, quibus integer Tecum *Srzeniava* veheretur. Orbis aureus, aut Regnorum annulus, qui Te Avito Flumine Gemmam enatantem concluderet. Mundi oculus, qui Superum dona, in *THEODORO* intueretur. A quo plusne lucis acciperet, quàm effuderit, problema esto! Mihi sufficit, ita Te extra Patriam evolasse, quomodo Reges apum solent, scilicet, ut ceræ Domûs clarissimæ, & augerentur magis, & dulcescerent, Neq; sole extero eliquarentur, nisi in mella, quorum siti arderet pietas. Non enim aliter viderunt Te alieni Cæli, nisi quomodo à sereno Iove spectantur uniones, qui etiam extra conchas, æstimationem merentur, & coronas. Itaq; extra Patrios solum limites, Celsissimæ rotâ vehebaris Nativitatis, non tamen extra recti orbitam, tunc augustissimo (Latiis cum Victoribus) gloriæ currui insidens, cum ubiq; intra sphæram volvereris probitatis. Quacunq; ires, *Lubomirii* Nominis vestigia imprimebas, quomodo Pompejus in Appia, aut

*Solei exteri.*

aut Alcides in Lactea, quæ nulla ſæculorũ oblivio, & tempus (quantumvis edax) abſumeret. Magìs ut noſcereris, quàm ut per Regna & populos rerum quæreres notitiã, Te grande Patriæ Decus, Fortuna tulit, ubiq; gloriæ famam, & Principum pectora Tecum prius ineundo, quàm Vrbes. Recludebantur Tibi Regna, Tu Regum intima penetrabas; quaſi nullum commodius pro Polono Principe videretur auguſtale, quàm cordis Regia. Invitabant Provinciæ: adibas humaniſſimus: Et honor quidam fuerat Te vidiſſe, habere lucrum; quod plus Regnorum vultu tuleris in Regna, quàm hominis. Ac ſi unà cum Sarmatica majeſtate incederes, vel ſolus totam ferres Poloniam, ita exteros, Tui videndi gaudiô tenebas. Quoſcunq; enim luſtraveras, ſimul ſereno frontis illuſtraveras, ſimul impleveras præſentia. Hic exterorum dicite littora, invectæne ab Erytræo æquore, ora Piſcaria, pretioſiores gemmæ, *Lubomiriis*, Iuventutis noſtræ unionibus? Non neſcio multos longo ſuperato itinere, emenſîs Pelagîs, doctrinã brevem, breviorem virtutem, in Patriam advexiſſe, cum veſte; Innocenti Polono, ſub aliena relicto Plaga, altiſſima vulnera Pe-

natibus attulisse, attraxisse vitia monstrorũ, & veluti non ad præclare facta, sed ad Nominis funesta ivisset. grandem Patriæ labẽ Lutetiis adspersisse. Fidem si livor dictis denegas nostris/Ipsi exteri Soles, illustres extant *Lubomirianæ* Virtutis testes, aliena sidera lingvæ, vel me tacente. Lingvas Cæli vix attigi? Trasiisse ad Te idiomatis sui decora mirata Germania, & ad Rhenu m potius, quàm Vistulam editum proclamavit. Nec minus Gallia, capiebat solatium, quod semel lilia, secundò rosas, Orator ubiq; floridus loquereris.

*Honores Celsissimi. palatini in Austria Eiusq; merita*

Libuit tandem Polono Aliti, Austriacum Solem delibare, ut qui olim, Avorum Atavorumq; meritîs effulsit clarissimus, Te hospite illucesceret, clarior etiam se ipso. Ita enim etiam alienis Orbibus augetis diem, cum veluti grandiora sidera *Lubomirii, Illustrissimo* Nomine influitis. Vidimus enimverò Potentissimum illum Imperii Tonantem *Carolum*, non minùs se Tibi Numen humanissimum præstitisse, quàm Tuîs armîs reddi fortiùs. Invidendum Imperatricibus Aquilis fuerat, dum plùs lucis Cæsareæ, unus Polonus Ales, acie deferres oculorum, quàm illæ multiplicatîs palpebris

brîs, geminato vertice, poſſent capere. Ex intuitu, quo ſe vix Mars videri ſinit, ad Solem Auſtriacum, Aquilam Te, non minùs Polonam, quàm probaſti militarem, cujus ire ſub ſigna vellent, qui aliis prævolant, Alites Cæſarei, & adhuc Te *Principem* ſubſequi: tanto nimirum impetu ad bella valuiſti! Certavit ergo humanitas Exterorum, ut ſaltem ad diuturniorem moram, precibus Te ſineres convinci: alio enim Marte, nunquã poteras. Iã balteos, quibus ſe Generali Gradivꝰ adſtringeret, parabat Imperiũ: jam verticẽ quô integer Theutonicus Mars niteretur, galeæ expectabant: jam fortiùs Spartanô pectus, præſtolabantur caſtra; tãtîs nimirum oppugnari debueras, ut in Auſtriacæ fortunæ, ſortem caderes, pro ea invictus ubiq; ſtando. Permiſiſti ergo, ne diutiùs luctarentur, bellicîs Te mereri honoribûs: quod nimirum experiri optaveris, auguſtas nuper hæroicîs paſſibûs Patrum vias, num ſupereſſent aliquæ, quibus Tibi etiam ad laureas iretur; aut num eſſet ſub ſole hoſtis, qui Cæſares non timeret, pro quibus Ioves fulminant *Lubomirii*. Et triumphali experientia protinùs didiciſti. Ecce enim adverſantium cruore, iam rubent campi. Te

uno Generale, Te uno exercitu, fuſi. Vix gladium lateri admoviſti, exciſa caſtra fortium, collectus exercitus ex Achille. Sulcatæ ferrô acies, veluti in hæreditarium abirēt fundum, laureîs concrevêre. In Principe Palma, gēmarunt palmæ, quaſi iam omnē triumphalem herbā hoſtis porrexerit. Hinc commune Victorum prodigium dicebaris, teſtimoniô ipſius bellicæ virtutis. Tuo ex nutu cadebat belli alea, quæcunq; faceres *Caroli VI*, ſigna ſecundiſſima. O quā pulchrum vidiſſe fuerat, arenam illam, quam Te ſolo Heroe premeres, telluri gravis, at magis hoſti. Quomodo ad ſolem atomi, ad fulgorem enſis, terrîs evolabant, diminuti, quamvis eſſent potentes animi. Si locus ſupereſſet, fugituri orbe, extra orbem, niſi ultra vitæ limites, amplius non pellerentur: Tantum pro bono exterorum exarſiſti! Potuiſſet ad hæc invicti pectoris incendia, non unus tantum hoſtis, ſed orbis etiam conflagrare, ſi quando Imperatoribus extitiſſet, rebellis. Quô tunc animô militarem in Te æſtum fovebat *Carolus?* Tu in hoſtes Cæſaris, vindice excandeſcebas irâ, ille Tui amore ardebat. Tu gladiô rebelles ſubigebas, ille de pectoris laurea, cum Victore certabat:

& controverſum fuerat; unuſne veſtrum, amore triumphaverit? an ambo: quod non impar Cor, cordi Cæſareo opponeres. Nõ enim plùs Imperatorii pectoris, exeruit *Carolus*, erga Polonum *Principem*, quàm Polonus *Princeps*, erga *Carolum*: adeò; ut vel victor uterq;, vel à vobis uterq; victus crederemini. Sed pronius dicere eſt! quod ne *Carolûs* vinceret *Theodorum*, optavit eſſe amoris munus *Lubomirii*, ne *Theodorus* vinceretur à Carolo, optavit eſſe munus *Cæſaris*, & ſic animo uterq; unus, & victor, & victus.

Sed hæc extra Pariam de Te ingentiũ lucta; Expeditum autem Tibi eſt, quem auguſtior ita extendit natura, & Imperio intereſſe, & in Polonia promereri. Quaſi unius tantùm Orbis non poſſes implere faciẽ, omnem Regnorum vultum occupas; quomodo illi, qui ſupremo culmine eminent, omni ex parte oculos involant, & undiq; videntur ſummi. Ita Tu, non minor foris appares, quàm domi. Idem in Exteris, qui in grato ſinu Patriæ Annibal. Et ideo, quia hoſte maximo, & fatîs ſublimior ſurrexit Auſtria, nihil humile in Te optarît. Sed etiam quod deliquia hucuſq; non ſenſit Polonia,

*Reditus & Merita in Patria Celſiſſimi Palatini.*

inde eſt; quod cordi non ſemel fuerit, Tua purpura. Præſtitiſti Te optimum Exteris, ſed non meliorem quàm Patriæ. Singulos dies Tuos, ſingulos orbes aureos adoravit Sarmatia, ideſt; meritorum pretia, geſtorũ diademata. Quot hic civicas? ſervati deberent Cives? quot murales? quà Vrbiũ, quà templorum muri: Quod navales? cõpoſiti ſæpius, Te Heroe, Te Conſule, Te Patre, Patriæ fluctus: quot laurus, quot omnis virtus palmas appenderet? Vt multa taceam! Quis enim, tot grandia Orionis aſtra, quot merita *Principis*, hactenus nõ ſuſpexit? Primum illudq; perenni memoria dignum occurrit, quod cum non unius decurſu anni, Comitiis intereſſes Generalibus, Reipublicæ faciẽ ſemper in vultu ferres, impleres ſplendore oculos, aures ſvavi eloquiô demulceres. Semel loqui admoneor, quomodò ad Grodnenſia nuper Comitia, Achatem Te ſuum, invitaverat Patriæ noſtræ Libertas, quam per Conſiliorum Regiam, ad auguſtal deduceres bonæ ſpei. Iviſti Divinus planè Mercurius; illo expeditionis nitore, qui & Illuſtriſſimum decebat, & ſui copiâ, velut radiîs, indicabat, Te Caput Poloniæ beatum. Plùs dicam! tot capita

*Mareſchalcus in Comitiis Generalibus.*

quot

quot ſoles, ſudô Conſilii extingvebat. Quo. tunc vultu, ſereniorem Tui meridiem, undiq; convolantes, Polonæ Aquilæ ſuſpexerunt? Omnes nimirum, non tam alîs, quàm admiratione, ab ore pendebant, Aureæ, quia liberæ vocis oracula, expectando; Tu veluti Delphico Tripodi præſideres, Apollo *Mareſchalcus*, Divinîs etiam; quia Scriptu. rarum fundamentîs nixus, collapsas res Patriæ erigebas, non Scipione magìs, quàm ſolidô dictorum fulcrô. Nunquàm convincibiliùs loquerentur, ſi pro communi felicitate ex Olympo conſilia traherentur. Legimus enimverô quomodo omni Ducalis ſvadæ argumento, illa ſolũ expenderes negotia, quorum ratio, & punctum decernendi maximum eſſet, Patriæ, Religionis, Fideiq; commodum: ac ſi Vaticanum conſilium a. geres; aut Romã in Poloniã deduceres; aut Agamemnon pro Diis tonares. Vnde quid quid optarent Orthodoxa Comitia, vel mo liri arduum, vel decidere optimum, niſi Te Præſide, Te Conſultore, non poſſent. Sed Svadam hanc, cui par Tibi *Palatine* ingenium reſpondebat, laudibûs proſequi ulteriùs, idem eſt, quod mari guttam adiicere, meridiano ſoli, faculam admovere: Ita e-

504

nim, omnem in publico exhausisti lucem eloquentiæ, ut nobis non supersint nisi umbræ; immò satis ad gloriam esset, si saltem umbræ, lucis comitis, titulum mereremur. Audivit Te pro publica felicitate perorantem, Coronatum Poloniæ Caput, & plures in eloquio gemmas advertit, quàm puncta, quamvìs ceu diadema, rotundam periodū. Docuisti tunc omnes Orbis Svadas, uno Tuo ore comprehendi posse, & adhuc totum, non implere. Docuisti uno Te *Mareschalco*, eundem Poloniæ, quem plurium Regnorum Senatum esse (si illos capitibus adhuc metiri velis.) Minora dixi! Dignus tam illustris labor Tuus, ut non atrati præli tenebrîs, sed notetur adamantibus, nisi audax iterum esset consilium, velle lumen addere, tantæ luci.

*Multîs virtutibûs Palatinam Dignitatē promeretur.*

At non minùs virtutibûs, quàm ore Regna mereris. Eandem quam distingvūt merita, pingunt etiam adoream Cælestes gratiæ, quæ Tui *Srzeniavæ* Altô, celsiùs innatant, quàm si totò Pactolo veherentur. Redundavit cum annis, omnis recti indoles, & novô consortiô, formam corporis, cum specie Tui animi fæderavit, ut dubium sit, elegantiorne svavissimo vultu spiret pietas,

quàm

quàm forma. Spectamus Principe corpore, Principem animam, parem tantâ Regiâ inquilinū. Non minùs oris lilia, quàm animi erumpit candor, quem sibi virtus pro pè, & Charites vendicarent. Serenum Ducalis Frontis, non tantum nubes mæroris non obducunt, verum utrôq; oculô Soles emicant, internæ lucis interpretes. Quid facies? quam non ruga contrahit, sed arat augusta Pietas, & omnibus reddit explicatam Affabilitas. Manus, quas implent Gratiæ, & ad altas indigentium querelas, centimana protendit liberalitas. Nisi tenerrimæ verecundiæ, profusissimi, in commoda universorum parcerem *Principis*; efferrem lucem illam dexteræ Tuæ, quâ ut indigentium gemitus serenes, diem dicis Tuæ munificentiæ Quis enim ad tantum meridiem cæcutiret? Videmus, videmus plerumq;, quomodo obscurioris Fortunæ sortes, quas vel in urnam proiicit, vel sua extingvit inopia, ad Tuas Ceras convolant, & intra Ducalis aulæ atria, ortum, an veriùs totius felicitatis meridiem inveniunt. Ita enim Galbâ felicior, fortunam miserorum ad Tua ostia, nunquam pateris plorantem, quin protinus, sole vultu, manuq; aurea recreatam, ri-

dere pericula edoceas. Dulceſcunt ſubitò inconditæ ſortis abſinthia, quoties ad Tui *Srzeniavæ* littora confluunt ſupplicando. Levantur proiecti à fortuna, quoties dexteram porrigis liberalem: quod veluti aculeis apum, hominum miſeriîs, mella implices, Tuæ dignitatis ex flore lecta. Hoc uno tãtum impatiens moleſtæ indigentiæ; quod Te diu rogare non permittas, non minùs ad audiendum, quàm ad exaudiendũ *Princeps* promptiſſimus. Quare communi vocabulo, Indigentium audiris Pater, Sol pupillorum, ſub cujus beneficentiæ fulgore, etiam cæca ſors videt miſerorum; cui pro oculo, munificus *Principis* ſufficit reſpectus. Sed minora narrat oratio? nam quæcunq; virtutis elogia recenſet, ampliora Tu mereris elogiorum cauſa. An enim mortales tantum umbras Tuæ liberalitatis ſerenas luce? quin illuſtriore auri radio, Numina etiam non niteant. Encomium iſtud ſũmorum eſt, ac etiam Tuum: longas eſſe Principum manus, & non ad terras tantũ, verum etiam ad Superos, dexteram protendere liberalem. Ita Tu, ut pro *Ducalis* Mitræ majeſtate, Munificentiam faceres *Celſiſſimam*, vix non ipſis intuliſti aſtris, Boze-

*Fundator Bozechwalenſis Templi ibidẽq; mutato vocabulo oppidi appelat illud Bozachwatá.*

ze-

zechwalensis Templi molem. Stat æternũ Tuæ pietatis monumentum, adeò sublime; ut nisi admiratione, transcendi queat: adeò formatum in gloriam; ut pautiora Latio Numina, Cælum obtruserit Praxitelis, quàm Tuæ illic adorentur Gratiæ. Nunquàm securiùs ad immortalitatem armari, nunquàm ornari ad majestatem poterat digniùs. Locus ipse non inglorium sortitus Nomen, palam facit: quantum, non minùs pro Superũ honore, quàm etiam ad ædificationem sæculorum laboraveris. Si ædis Divinæ cultũ, si Oppidi mutata vocabula spectemus? nihil est, quod non Empyrum sonet, sidera in terras descendisse autumavimus, ita Tuâ munificentiâ Cælos in Orbẽ transtulisti: ut vel æternam in humanis posueris DEO Gloriam; vel tantum opus, perfeceris æternitati, sæculispræludens intra tempus. O verè te Auroram inter Principes, quem cũ tanti beneficẽtiæ sequuntur soles, non inter Nubes, quas aura popularis pellit, transparent, non vanæ gloriæ vaporem attrahunt, sed Divinæ. At hoc est tantum Virtutis Tuæ fundamentum, exemplô omni altius. Iam quis attinget fastigia? si prima etiam liberalitatis planta, in *Principe, Celsissima*

*fissima.* Non est Ariadna Rhetorum, quæ stamen porrigat Oratori, ut se aut elogiorũ expediat Labyrintho, aut *Tui* animi dotes *Celsissimas*, metiatur pro condigno. Omni die errandum est calamo, quod nullîs terminîs *Principes* Gratias circumscribas: tantũ *Tui* in publica commoda prodigus, quantũ opum in astra. Intuemur fætos aurô montes, parciores tamen sunt, quàm ut omni die generent obryzum. Spectamus gemmarũ parentes Oceanos, sed & his sæpenumero desunt, quos arenæ mendicanti porrigant uniones. A *Te Princeps* munificentissime habet, quod omni tempore, pauper sabulum accipiat, & certiùs, quàm in Aurifodina, inveniat fossor indigus. Quamtumvis non unum Gangen Iberumq; effuderis, fluit adhuc amplissimè meritum, nec minuitur. Vtiq; liberalibus *Tui Srzeniávæ* undîs, etiã Gracovienses abundant moles. Innatat Ducalibus Gratiis, Thaboreum tabernaculum, non minùs mediis sideribus sublimitatem sanctimoniæ inferens, quàm *Tuam* altaribus munificentiam. Nemo non sæculorum advertit opus, circa quod, non tam artifices manus, quàm Senatoriæ favoribûs, laborarunt Secures. Tota facie formosissima

*Templi PP. Scholarum Piarum Benefactor munificẽtissimꝰ*

Ædes

Ædes beneficas *Principis* præfert Charites, ſuóq; tholô docet, quàm *Celſiſſimum* meruerit *Mecænatem*. Amabunt poſteri, in ipſa Baſilicæ pulchritudine liberalitatem, adorabunt in aris munificentiam, reverebuntur in Templi titulo, & quotquot lapidei pro pariete Memnones, tot facundi *Principi* munifico, ſtabunt pro Roſtris Oratores. Quæ verò non meretur elogia? illa in *Antecesſorem* pietas, cuius fata plorantibus nuper templorum Ceris defleviſti; ut lugens per altaria fulgor, tumulum Ingentis Viri redderet illuſtriorem. Tædaſnè funebrales, an *Tui* amoris faces dixero? quibus non minùs erga vivum, quàm etiam extinctum flagrabat Ducale pectus. Spectavimus etiam ſub cinere mortuali, viventes *Tui* pectoris æſtus, tantumq; fatorũ nivibus, cordis Ætnam ſervare fidem, quantum in vitæ arſerat æſtate. O flammas quibus arderet pietas! O! æſtus, quibus hyems fatalis incaleſceret! O incendia *Palatini* Pectoris, quibus virtus, ſi quæ in Prædeceſſores eſſet ferventior, redderetur ferventiſſima. Probaſti eô modô, Magnum Poloniæ Solem occumbere, cui tot ſidera poſt occaſum inflammaſti ad exequias, quot lumina-

*Antecesſori ſuo ſolemniter parentat in Circulo.*

ria *Marianus* axis, suo in Circulo, velut Cælesti sphæra numeravit. Ita vix astra, suo parentant Phæbo, inter noctes, vix ipse Titan, demortuis luminaribus. Quantus *Tibi* fuerit in animo *Illustrissimus Marchio*, solem ex umbra coniecimus, at magis ex lucè, quam illi ad noctes festinanti, facis loco obiecisti. Habuit nimirum in *Te* suum radium, quô & post funera viveret, extinctus Phænix Poloniæ. Habuit sua pretia contrita in pulverem mortualem Gemma, quibus æstimaretur. Vt delevisset pallorem Togæ Eius, *Tua* purpura flere non erubuit. Vt compensasset modestiam, quâ triumphales exuvias animæ, sine pompa tumulo inferri voluit, funebrem suffecit apparatum, *Tua Trabea*. Sicut dum diem soles fugiunt, supplent sibi lucem, amica Astra, aut dum muricem exuunt marcescentes Rosæ, amnibus merguntur, ut servent purpuram. Ita qui semper in luce vixit, *Senator Illustrissimus*, condi voluit in umbris: *Tu* effecisti, ut pro claritudine magni Nominis, etiam tumulus *Palatinum* loqueretur splednidissimus. Quem cum sanguine muricem induit, voluit deponi cum vita: Tu etiam tumulari nō passus, nisi trabeatum. Iam ergo inscribe

mortua-

mortualibûs tabulîs, nigras pro modeſtiæ, & mæroris coloribus noctes, ſæculîs plorande *Marchio*: ab urna fulgores arce. Hoc tamen *Succeſſore*, condi non poteris, niſi *Illuſtriſſimus*. Ad tantas enim clariſſimæ *Domûs* Ceras, etiam cæca Lacheſis, non poterit non videre: noctes etiam mortuales, debent in die poni. *Tu* verò *Munificentiſſime Palatine*, æternū ignores *Parcas*, qui etiam fatales magnorum umbras, in luce ponis liberali. Hæc de *Tuis* virtutibus, ſed necdum narrata omnia: cū morē tenuitatis ſuæ, ubiq; gerat oratio. Quintiliani cautior conſiliô: *Quædam in oratione operienda ſunt, quod exprimi pro dignitate non poſſunt*: & ideo de Romanis Maximis plura tacuit Tacitus, quod ad menſuram ingentium Virorum, ſublimis quantumvìs ſtylus, necdum ſurrexiſſet. Ivimus ergo per compendia, non quod calamum in ſicco poſuerimus, ubi *Tua* exundant merita: ſed quod Tantali ſimus infelices, quos dum magni fluctus alluunt, eò celerius elabuntur, quò *Tua* magis ſitimus elogia Necdum tamen *Tuæ* gloriæ affundimus periodum. Stamus in meritorum æquore, dum etiam Fraterni ſangvinis mare, minore ſal- Quintil: l. 2 c. 13

tem lembô traiicimus. Auget ſtyli noſtri ã-plitudinem, qui Patriam gloriâ auxit, ſed & nuper lachrymîs implevit Poloniam. *Celſiſſimus* Czerniechovienſis *Palatinus*, cui vel ideò hæc purpura obtigit; ut Czerniechoviã *Ioſephus*, ſuis liliis feciſſet Albaniã; ideſt hæreditariam *Druzorum* Patriã. Sed o funerum inſolentiã! veluti candorem Viri cæca mors Lechis invideret, pullam ſuppoſuit: utq; pro lugubri apparatu, mortualibus indueret Poloniam, poſt grandem *Senatoris*, veluti Phæbi occaſum, tantum nõ integram Sarmatiam, unâ mortis nocte, nigerrimam effecit Czerniechoviam. Peccaſtis funera! nunquàm hæc lilia, falcem Lacheſis meruerunt. At pro mortis piaculo, nobis æternus incumbit dolor, quod illam Poloniæ famam, *Ioſephi* cum liliis, funera carpſerint, quam Lechiæ campis, vix mille ſæcula reſtituent. Minùs doleremus, ſi minor cecidiſſet; At quia corruit *Celſiſſimus*, quia *Lubomirius*, etiam in Orbem protenſus dolor, nondum ad ingentis ruinæ, accedit menſuram. Vbi tamen in fata invehimur, non minùs Maii ferias, quàm *Principis* virtutes incuſamus, quod illum vitæ florem explicuerint, qui ante Autumnũ

matu-

maturuerit ad messem, acervis æternæ gloriæ, inferendam. Quid enim non ad maturissimæ virtutis candorem fuerat in *Iosepho?* ut in liliis, quæ dum etiam labia aperiunt, cor extra involucrum proponunt, quod est innocui ver animi denotasse. Quid non ad Album gloriæ? Matura semper, & cana virtus, quamvìs ut lilia, senium ignoraverit, quod fuit, pilum Viri optimi prætulisse. Grandem tamen *Palatini* de terris excessum, haud aliter poterit ulcisci, afflictus honor, nisi *Tu Senator* & *Pollux Illustrissime* rubeas in trabeis diutissime, & tam ingentia Patriæ mala, quæ à Vestræ consangvinitatis Arbore funera appenderunt Poloniæ, *Tu* Regali compenses pomô. Quô vero Gloriæ inscribam stylô *Illustrissimum* Regni *Notarium*. Omni calamo assurgit Celsior, Patriæ Conscriptus Pater, cui se & honor scribit a capite, & merita a fronte notant, non prius Poloniæ faciem, ut paginam impletura, nisi coronam vertici, gesta imposuerint pro periodo. *Illustrissimus* verò *Ensifer* Regni, ut potè *Alexander*, dum merita cum orbe multiplicat, divisum cum Iove Imperium promeretur, nihil illi quod non ad mensuram magni nominis as-

ſurgat, cum geſtis. Nomen gerit, æquale meritis, par Alexandro, & majus, quem cum indoles ingentem effeciſſet, ſine comparatione, magnum dici voluit *Alexandrum*. Vt caſtra honorum ſibi militent Regibus præit Enſifer. Vt inter grandium meritorum agmina, convincat titulos, gladium oſtentat, unuſq; & ingenium copiam, & exercitum dignitatum, ad manum habet.. *Ioanni* vero Bolemovienſi *Capitaneo*, niſi ſoles honorum accendendi ut Aquilæ, cuius indoles nata ad excelſa, non unum titulorum meretur diem. Totum penè cor poſſidet Patriæ, non minùs Poloniæ amor, quàm purpurarum votum, Dignum Regum pectore pendere anathema *Ioannes*. Mitto *Celſiſſimum* Sandomirienſem *Palatinum*. Diffuſa per Regna & Imperium, Virum, ſua geſta loqvuntur. Clarior a meritis, quàm ab elogio. Iam ſua illum ſublimiùs attollit dignitas, an Ille dignitatem. (Omnis enim *Vobîs Celſiſſimîs Lubomirîîs*, potius erigitur altitudo, quàm *Vos* erigit.) Auxit ſcilicet honorem, quem admiſit, & ſe ipſa maiorem reddidit purpuram, dum humeris impoſuit, ante trabeam *Celſiſſimis*. Ita enim ipſe honorum ſublimio-

res

res eminentiæ, ſi *Lubomiriis* occurrant. Tantum ſcilicet commodîs Patriæ Herculeas quamvìs laſſavit vires, ut Palatina curuli, quieſcere promeruerit. Non refodio calamô *Illuſtriſſimum Capitaneum Sandecenſem*. Quidni enim ex umbra mortuali metiar *Alexandrum*? quem maturum non tam annîs, quàm meritîs, tempori invidit æternitas, dum rapuit. Iaceret ſub eius marmore, ſæculorum gloria, ſi mori poſſet. Hæres enim tam annoſæ *Druzorum* gloriæ occubuit. Dignus eſſet longiori vita, niſi dignior eſſet æternâ; veluti alium quæſiturus orbem, in Cælum uſq; pertigit *Alexánder*. Et hæſunt, quas breviſſimæ laudationis filô, induximus Fraterni Sanguinis gemmæ, quæ *Tibi Illuſtriſſime Domine*, omni murice celſiùs, Palatinam diſtingvunt purpuram, & veluti ingreſſum Principis Lunæ, in honoris axem, grandiora ſidera comitantur. Necdum tamen ſingulos attigimus (quis enim in illa Domûs Veſtræ, tot Virorum, quot unionum Piſcaria, quin fluctus eum non obruant ultores, pretia quæſierit?) Arduum eſt, niſi ille Domûs *Tuæ* decora numeraverit Orator Euclydes, qui *Te* unum cum

mille coronarũm orbibus, in laudum ſummam redegerit. Quid ſi adhuc recenſerem Altiſſimi ſanguinis Æquora, inter aliena littora, pingendis trabeis conceſſa. Mare, Mare eſt! *Illuſtriſſima Criſtina ex Lubomiriis Potocka*, tot gemmarum, quot *Potoccianæ* Domûs decorum, Parens. Etſi pro gratitudinis alto *Celſiſſimæ Fundatrici* noſtræ Nomina appingamus. Gratiarũ mare eſt. *Srzeniava, Cælo gratiſſimus Amnis.* Iam ſuæ munificentiæ vivaciùs ardet ab undis *Ignatius*, quem ita divite Pactolo alluit, ut æternæ gratitudinis æſtus, accenderet. Neq; hæc paradoxa ſunt; Veſtri Stemmatis fluctu aureo, pulchriùs flagrare Divos, in quo veluti illo Herculano fonte, & honorum tædis, & fervoribus Divinis incendendis, pares fluunt gelidæ. Vruntur gemmîs altaria, veſtro *Srzeniava* Craſnoſtaviæ ſuccenſa. Neq; magìs *Potoccianæ Cruces*, quàm Avitus *Illuſtriſſimæ Fundatricis* Gratiarum Oceanus, ab aris adoratur. Non minores meretur cultus, *Celſiſſima ex Lubomiriis Eliſabeth Sieniawſka*, non tantum ex Gentilitia *Sieniaviorum Luna*, ſed etiam quòd eodem Domûs *Illuſtriſſimæ* Cælo oriretur, *Tua*,

ut

ut Phæbi Cynthia, Soror, & fulgentis adhuc, (utinam quàm diutiſſime) in Palatino Zodiaco, Auroræ Mater. Hæc non tantum Religioſas *Franciſci Seraphici* noctes, ſuâ munificentiâ illuſtres reddidit, verum etiam Dolores *Marianos*, in Campo Iaroslavienſi ſerenavit. Plorant quidem Mærores Thaumaturgi, ſed ſuæ liberalitatis gemmîs, & quævis lachryma, Gratiarum prodigium eſt. Noſtros verò, id vel maximè dolores excruciat, quod illam nobis fata Lunam extinxerint, quæ & pro Divorum luce, multum laboraverat, & *Lubomirii* Cæli, fuerat grande ſidus. Sed non integram adhuc amiſimus, quamvís totam *Ducem Illuſtriſſimam* obiiſſe ploremus, nam pro Maieſtate Veſtri Nominis, in Celſiſſima Filia, & *Tua Illuſtriſſime Palatine*, ex Sorore *Nepte*, adhuc integra facie reſpirat, cui ita ſe Materna in vultu gloria colorat, ut & *Denhoffiano* Capiti *Zophia*, id eſt Polona Prudentia, pro corona nuper ceſſerit, & modò in connubiale decus, Gẽma, *Principi* annulo, obtigerit. Quidni verò non memorem Polonorum decorum compendium, &ſi nomina ſpectemus? Gratiam, ſi dotes? nõ unius Paridis, ſed omniũ

iudicició Palladi Iunoniq; anteferendam Helenam, ſi oris facundiam? Sarmaticam Tulliam, & ut paucis concludam, Virtu. tum Dominam. *Celſiſſimam Annam ex Lubomiriis*, Nuper *Illuſtriſſimi Cracovienſis Palatini*, lectiſſimam Conſortem, modò Niobem dolentiſſimam, in cuius vultu, ut nunc pro mæroris tempeſtate, lachryma, ſic ſe ſemper pro *Lubomirii Sangvinis* alto, omnis metitur honor, Concham dixiſſe debueram? unico Vnione Filio *Hieronymo*, & *Tuo Celſiſſime Palatine, Nepote* ditiſſimam, niſi ampliora Nomina mereatur, quod omnium virtutum pretia collegerit. In illa ſolidiſſimæ pietatis adamantes. Chryzoliti aureis etiam Divorum pectoribus trahendis nati. Pulchrô ſanctimoniæ miniô rubentia corallia, modò etiam, cum ſalſo lachrymarum mari innatent. Sed etſi omnia pretioſiſſima Nomina numeremus, minor adhuc ad tantæ *Principis* valorem comparatio. Singula compingimus: ſi *Lubomiriani Srzeniavæ* Nympham, *Tuam* eſſe dicimus Sororem. Iam tantus *Frater*, maximum elogium ſis, & *tanta Soror, laus maxima Fratri.*

Ergo

Ergo jam omnem *TVI* Sanguinis Oceanum, trajecit pagina? Licet compendioſo impetu veheretur, reperit adhuc, quô intra gloriæ *Tuæ* marginem, feratur. Idem enim eſt *Lubomirius Srzeniava*, ac Polonia, idem, ac Regna, Gentes, Nationes, quæ intra venas claudit & littora. Maria iterum neceſſe eſt enaviget calamus, cum Magellane omne altum tranſlabatur, ubiq; purpureo Domûs Veſtræ Rubicone, non arenâ, ſed ſoliîs, ſed curulibûs fluet decurrente. In illum influxerunt Cæſares, cum Principibus Neoburgiæ, Reges Poloniæ, cum Potentiſſimis *Michàéle, & Ioanne III.* & quotquot Sanguinis, ſive Regii, ſive Senatorii, alta numerantur, in illum transfuſa. Hinc Duces *Wiśniowieccios*, *Principes Oſtrogienſes*, *Zasławienſes*, *Zbaraſcios*, *Czartoryiſcios*, & Celſiſſima Nomina *Sanguſzkorum*, intra Domûs Veſtræ tenetis littora. Helleſpontus ſunt titulorum, quô olim aureum Regalis pectoris vellus, feliciùs, quàm cum Iaſone natavit. Veſtro *Srzeniavæ* illabuntur. *Radźivilii*, *Oſolinſcii*, *Leſzczynii*, *Koniecpolſcii*, quibus Sanguinis coniunctione, ut Gemmæ corallibus adhæretis. Quid magna

Religione adorandæ *Potocciorum Cruces?* Omnem gloriæ campum emenſæ *Działynianæ, Chomentovianæq́;* Sagittæ? *Zamoyſcianæ* Haſtæ? Veſtro littori pro meta infixæ. Hic ſuum ſinum inveniunt, *Naves Opaliniæ,* Arenam auream, *Gryphes Braniccioruum,* ſuum altum reperit *Denhoffiorum Caput.* Referamne adhuc? *Sieniavios, Tarłones, Czarnkovios, Sapiechas Bokumos, Małachovios, Cetneros, Ligęzas,* & quorum, ut Nomen ſic merita, tam latè patentia, quàm Polonia *Wielopolſcios.* Illuſtriſſima Nomina *Oginſcios,* Pretioſiſſima vocabula *Pieniążkos,* & ſexcentas alias nominum opes, quas intra Veſtræ Domûs æraria reconditis. Pretia hæc ſunt *Lubomirii* Sanguinis, tantum æſtimanda, quantum orbis, & adhuc Veſtro Sanguine locupletantur. Intellige *Celſiſſime Palatine,* ideo nos hæc tam vaſto ambitu redordiri, ut palam ſit, Tuam Gentem, tot Regnorum, & Poloniæ Numinibus, ſanguine, aut affinitate coniunctam, niſi Imperiis, & coronis, pares Vos animas procreaſſe; nec repſiſſe *Srzeniavam Veſtrum,* quin illi Optimus ex Europa ſanguis illaberetur, cum hoc virtutum maie-

ſtatem,

ſtatem, tantùmq; decoris à Te, in purpuram redundaſſe; ut ſuum Tibi honorem, debeat ipſe honor, meritîs & *Lubomirio* Nomine auctior, quàm ſi titulorum pretia collegerit, Sydonem exhauſerit. Quid ſi colligatos adhuc in Scotia Veſtro *Srzeniavæ* Hydaſpes, tot gemmîs, quot *Cumingiîs* ampliſſimos, in paginam retulero? Vtiq; nihil mediocre, Tuis in atriis *Illuſtriſſime Palatine*, fortuna repoſuit, ſed quidquid altum, ingensq; intra orbis ſe volvit ſinum, Tuam in arenam invitavit: adeò, ut intra Domûs Celſiſſimæ littora, ille tantum decurrat alveus, qui totidem ornamentîs conſtet, quot guttas, celebrata alibi flumina, vix devexêre. Mille oſtiîs diviſa, magnô Pelagô in *Srzeniavam*, illabuntur æquora *Cumingii*, quibus & Scotia abundat, & pro magni Nominis amplitudine, tituli implentur profundiſſimi. Pluſquàm, felicis Arabiæ littore attolluntur, omne Celſiſſimi Cruoris, altum exhauriunt, ut non citra naufragia calami metiamur Viros. quos tot Pelagîs, collectus ſanguis, copioſiſſimè inundat. Vnam ex his *Coniugem Celſiſſimam*, Thetidem trabeatam, Purpureus Poloniæ Neptunus

*Celſiſſima Eliſabeth ex Cumingiis Coniux Celſiſſimi Palatini.*

adlegiſti, & veluti Iberum Pactolo, Gangetem, Tago, per fœderata connubia, ſociaſti Omne ſe dignitatum altum, collegit in unam: vel ideo, quod Tuo Stemmati influxerit; cui quidquid immergitur, etſi ante gemmas æmuletur, ſe ipſo redditur pretioſius. Sicut dum Lunæ cum Solibus fæderantur, licet multum lucis in ortu habeant, diem adhuc honorum derivāt ut iîsdem ludant radiîs, cum Phæbis, & parti, fit fulgor ſimilis utriq;. Habet quo pro mundi muliebris vocabulo, orbis decora mereatur, quod Sarmatico Scipioni, nupſerit Cornelia, Agryppina Auguſto, *Eliſabeth Theodoro*, Nihil non Principis tituli in Conjuge Celſiſſima. Vt frontem attollit ad mitras, ſic vultum Pharraſius honor, rosîs depingit ad trabeas; omnia ad invitamenta curulium, ad illicia titulorum. Et ideo pauciora Pyrrhi annulo Numina, quàm utroq; ſole oculô proſpectant gratiæ, quas ut pro virtutis alto, celſiores efficiat, omni demiſſione inſtruit, & ideo erigit. Accedit ad Parentis Celſiſſimæ æſtimationem, *Illuſtriſſimæ Domûs* adamas, pretioſum monile, purpurarum expectatio, honorum illecebra, magnæ ſpei

Natus

Natus Tuus, cui tot Nominibus obligata solia, quot Reges *Gasparo*, *Melchiori*, *Balthasaro*, in titulos conspirarunt. Nec emergere è Sacro fonte poterat, quin tot coronîs, quot Regibûs insigniretur; ut constaret, quot sceptris parem efferret animam. Nimirum cui nasci contigit Principem, vivere non continget, nisi plurium Regnorum Patrem. Iam proludunt venturæ felicitati, occulta Fortunæ præsagia, ut deinde cum purpura nomen induat, feratq; dignitatem, superiorem Principibus, parem Soliis Regum. Vtiq; modo etiam, nihil parvum, in *Celsissimo Domûs Infante*, præter ætatem. Vagitu puerili, *Patris* oracula, videtur imitari, consulere Patriæ balbutiendo, cunisq; ut curulibus insidens, teneram linguam. edocere in voces, olim in Senatorum Curiis, Regum augustalibus, audiendas. Si quando serenö oculô dolor lachrymam extorserit, hanc non aliter *Palatinus* Pusio recreat, nisi Regale pomum, Honor obtulerit, Sceptrumq; ad manum porrexerit: quod hæc sint, crepundia *Principũ Filiis, Cæsarum Nepotibus.* Nec superest, nisi ubi creverit in annos, ad mensuram *Patris*, crescat etiam in me-

*Celsissimus Gaspar, Melchior, Balthasar. Filius Celsissimi Palatini.*

rita, alta soboles. Quid enim votis communibus, majus Tibi addidero Magnæ Fili?

*Nec possum Tibi velle minus, nec fingere majus*
*Cerne* Patrem, *dignosq; omnes spectabis in uno.*
*- - - - - - - Præsens apparet Achilles*
*Coram Cæsar adest, vivitq; domesticus Hector*
*Gentiles in PATRE TVO.*
*Labbe ad Delphinum* *Hunc te æquare decet, sic fies maximus Hector;*
*Sic iterum præsens in Te visetur Achilles.*
*- - - - - - Talem Te publica vota*
*Exoptant, cresce ergo diu, virtutibus auctus*
*Et* Patriis *asvesce bonis. Iam grandior hæres*
*Mature propera, veloxq; attinge* Parentem,
*Vt possis PATER esse diu. Cresce, & crescetis uterq;*
*Ille Tuæ laudis consors, Tu sanguinis Hæres.*

Nec ultra stylum protendimus, tot Virorum, & ingentium Domûs Tuæ decorum, corona jam solus agmen, quì omnium Familiarum, unus gesta & gloriam coronasti, *Senator meritissime.* Nunquàm se expediret, tot Nominum aureîs orbibus, velut Labyrinthô, implicata Oratio, nisi Palatini muricis filum, porrigeres quô per tot insignia Domûs *T*uæ monumenta, hactenus aberrans, ad Te iterum deduceretur laudatio. Restat secundo ordine disponendus Tuæ trabeæ apparatus, quem Ipsemet adornastî, ne alii Tuam gloriam comere viderentur. Sive ab Antecessoribus, sive à Conjunctis Familiis de-

ducta

ducta decora expendimus? Vtramq; Progeniem vincis adhuc Tuorum felicitate meritorũ. Et licet nataliũ magnitudine ad Superos accedas, animo tamẽ se solo ingenti. *Cæsarum fortunam* superas. Neq; quomodo Olympus, aut Carpatus, (qui ex atomis tumuêre) in Cælum promines, at velut Mare, quod non ex fontibus nascitur, sed Te Ipso immensus eluctaris; talisq; qualem ut Tibi, ut Nobis quoq; esses, & purpuram, & Te ipsum decebat. Omni solio majus meritum adferens. Infra quem est, quod etiam Regum Summis superest. A Tuorum gestorum, a Tuæ mitræ celsitudine, etiam solis Regiam poteris despectare: adeo Illustrissimorum Natalium sidera, Te ipso, & excedis & illustras. O si tam felici arte, Tuam aut Zeuxes in tabula, aut pro marmore, in auro Phidias celsitudinem efformaret, nulla sublimior ars oculis influeret, quod quibuscunq; Te concessum esset, vel aspectu delibare, nulla ferret nisi, trabeatum, nisi ingentem pupilla, quem nulla ætas aspexit parvum. Infelicitas nostra! sæculis accusabimur Oratores, quos Tuorum meritorum copia, fecit jam inopes verborum, ut parciores

loquendo, quàm tu agendo videamur. Abſolvet nos tamen, ab hac injuria, ſola purpuræ *Principis* magnitudo, minor eſſet, ſi quanta quanta eſt, calamô attolli pateretur. Illud Gentilitii *Srzeniavæ* commendat Oceanum, quod pennâ exſorberi nequeat. Illud Palatini montis celſitudinem, ex quo licet tot puncta retulerimus in panegyrim, ſtat adhuc veluti intactus, & ſe altior ampliorve, quam elogio. Vt Tuæ *Celſitudini*, ſic noſtræ adſcribimus tenuitati, quod plura promerendo poſſis, quàm nos referendo.

Aſcende ergo jam virtutũ amplior, quàm effusô laudum comitatu, Palatinam curulẽ *Princeps*. Majus infer faſtigium faſtigio, quàm ſi paſſu etiam imaginario, ad illud accedat Oratio. Erecta Tecum *Cæſarum Fortuna*, ſublimata Patriæ felicitas, lacerti ſunt, quibus omni celſiùs invidiâ, Tua aſſurgit gloria, Ingredere Senatorij honoris Regiam, Te ſolo *Palatino* auguſtiſſimam, cujus culmen tanto aditu, ultra ſumma omnia evexiſti. Nec aliter pedem infer quam Numæ ad Capitolium, quam Numina ad immortalitatem. Quo affunderis murice, Tuorum meritorum cruor

eſt,

eſt, Tui Sanguinis color *Celſiſſimus*. Nulla alti cruoris gutta, quam non ad trabeas pridem optavit Honor, nulla ſtilla *Srzeniavæ* profundiſſimi, quam non conſanguineam, & concolorem Soliis, curuli affundis *Palatinæ*. Pinge itaq; Majorum parelia, primo etiam in ortu purpuræ Phæbe. Avos Proavoſq; æmulare, & vince. Altioribus hinc trabeis debitus eſt, quem Cracovienſi Oſtro ſubmittis humerum. Solio deſtinaris, qui Curulibus imponeris. Ingredere jam Fortunatus Hoſpes, Palatino acceſſu novam, ſed meritîs, votîs omium, gloriâ, pridem Tuam Minorem Poloniam, imô *Te Senatore*, jam Majoricam. Tot in uno accipimus *Lubomirios*, quot exprimis ingeniô, moribuſq; Palatinos. Poſtquàm verò purpuram ad humeros admiſiſti, hactenus pro Te ſupplicantem, etiam minimam Societatem IESV admitte ad pedes, ſemper Tui honoris faſtigio procumbentem. Vmbræ quidem Religioſæ ſumus? ſed quîa Tu quoq; Sol Illuſtriſſimus, etiam umbras admittis pediſſequas. Atomi! Sed latere non poſſumus, quin ad Tuum meridiem non trahamur. A quo idem nobis

Y eſt

est proiici, quod a Phæbo; idem a Palatinæ Trabeæ fimbria excuti, quod terrîs. Vive verò hactenus Patriæ, Senatui, Nobilitati, Nobis, donec post susceptam ab *AVGVSTO* purpurâ, immortalibus meritis REX

TEMPORVM
affundat
CORONAM.